Wunderus - Adversaria in Sophoclis Philoctetam - 1823.

ADVERSARIA

IN

SOPHOCLIS

PHILOCTETAM

EDIDIT

EDUARDUS WUNDERUS

PHIL. DOCT. A A. L L. M.

LIPSIAE

SUMPTIBUS C. H. HARTMANNI

MDCCCXXIII.

V I R I S

SUMMIS ET CELEBERRIMIS

GODOFREDO HERMANNO

FRID. AUG. GUIL. SPOHNIO

AUGUSTO WEICHERTO

PRAECEPTORIBUS ET FAUTORIBUS

P I E C O L E N D I S

S A C R U M

E S S E

V O L U I T

E D I T O R.

Quo gravior est et vehementior, quae dudum me incendit, cupiditas, palam ac coram omnibus profitendi, quot et quanta vobis, viri summi, debeam beneficia, et quo magis intimus animus pietate grataque benevolentiae vestrae recordatione plenus est: eo magis tamen nunc, ubi ardentissimi illius desiderii restinguendi prima obtulit se occasio, dubius haereo et incertus, quam viam tandem ac rationem eligam, ut tam egregia vestra in me merita dignis celebrem laudibus. Etenim si paucos illos annos, ubi dilectissimorum cura parentum puerum amplectebatur, praetereo atque reliquum vitae meae tempus cogitatione perlustro, nullum profecto reperio diem, qui non aliquo vestrae

erga me benignitatis documento insignitus sit. Ac magis etiam animum conturbat magnitudo beneficiorum et praestantia, quam satis illustrari verbis posse despero.

Ad te primum me converto, dilectissime WEICHERTE, qui me, ut primum puer saluberrimae institutioni tuae traditus sum, tam mirifico excepisti ac fovisti amore, ut, quantus esset, tunc vix possem aestumare. Sed quod levis pueri animus parum animadvertit, id iam adolescens probe sensi et agnovi. Tu primus puerile ingenium litterarum elementis eximia cum cura imbuisti et ad humanitatem informasti: tu animum erigebas, sicubi difficultates formidaret, tu idem discendi cupiditate stimulabas, si quando languesceret: tu denique praecipiendo et adhortando eum mihi primus liberalium artium amorem instillasti, quo flagrent omnes oportet, qui auspicato Musis litare velint. Et quanta me putas cum voluptate posterioris recolere memoriam temporis, quo scholae Regiae Afranae ascriptus te non solum praeceptorem habebam, sed amicum et paene patrem? Quid enim? tua doctrina, tua disciplina, tuis praeceptis nisi usus essem, nunquam, mihi crede, factum esset, ut in hanc inclitam litterarum

sedem me conferenti facilis ad summos huius Academiae doctores mihi pateret aditus.

Sed te iam compello, vir excellentissime, SPOHNI, qui tanta me benevolentia, tanto favore ab eo inde tempore, quo academicum spatium decurrere coepi, ad hunc usque diem ornare dignatus es, ut in omne tempus tibi me feceris devinctissimum. Tu mihi primum monstrasti viam, quam ingredi debeant, qui ad intimam antiquitatis cognitionem penetrare velint, tu amorem illum litterarum tanto opere auxisti, ut maiorem in dies voluptatem inde perciperem: tu denique quid non fecisti, quo studia mea sublevares et adiuvares? Quot et quantos e consuetudine tua, quantos e doctis tuis sermonibus, quantos e disciplina tua retulerim fructus, condignis modis praedicari non potest.

Quid autem de te dicam, HERMANNE, vir summe et illustris, quem qui norunt, omnes ambigunt, venerentur plus an diligant? Verba profecto deficiunt, quibus proloquar, quanta in me redundarit utilitas, quanta auctus sim voluptate, quod te praeceptore perfrui contigit. Te quum primum admiratus essem propter divinum ingenii acumen, propter insig-

nem doctrinae et eruditionis ubertatem atque praestantiam miramque docendi tum perspicuitatem tum elegantiam: postmodum ubi arctior tecum mihi intercesserat consuetudo, non potui non venerari ac summa prosequi pietate, talem quum te cognoscerem virum, qui virtutibus illis cum eximiam liberalitatem et humanitatem, tum singularem adiungeres benevolentiam, qua nos omnes amplexus es, qui te studiorum nostrorum ducem et moderatorem habere laetamur. Per deum immortalem, tua quod mihi contigit disciplina et consuetudo, in maxima felicitatis parte pono. Neque dum vivam ullus praeteribit dies, quin gratissima mente summae benignitatis ac benevolentiae tuae recorder.

Vobis igitur, viri summi atque eximii, offero has studiorum primitias, leve grati animi documentum, quod si benevole exceperitis, omnia, quae cupiverat animus, me consecutum arbitrabor.

ADVERSARIA

IN

SOPHOCLIS PHILOCTETAM.

ADVERSARIA

IN

SOPHOCLIS PHILOCTETAM.

Sophoclis tragoediae quamquam nostris temporibus multorum hominum et doctissimorum et sagacissimorum curas expertae sunt, nondum tamen ita esse emendatas atque illustratas, ut sine ulla offensione legi possint et intelligi, omnes sciunt, qui cum egregio poeta aliquam familiaritatem contraxerunt. Ac prae caeteris quidem Philoctetes fabula visa mihi est interpretis et critici ope admodum indigere, quae quamvis maximis premeretur difficultatibus, paucissimos tamen nacta sit editores. Quod quum animadverterem, licet bene essem gnarus, me non esse eum, cuius vires tam difficili operi absolvendo pares essent, iuvabat tamen huic potissimum fabulae diligentem operam impendere. In qua postquam multum essem volutatus, ac plura observassem, quae nonnihil ad eius intelligentiam conferre viderentur, factum est, ut consilium caperem, aliquando eam mea qualicunque cura explanatam in publicum emittendi. Nolebam autem id prius facere, quam omnes, quibus offendebar, difficultates mihi certe expedivisse viderer. Qua re dum occupatus

eram, accidit, ut Buttmannus, vir celeberrimus, hanc fabulam ederet, tam egregio commentario ornatam, qualem nemodum in eam conscripserat. Continuo abieci consilium, inutile quid me facturum ratus, si quam nemo iam desideraret huius tragoediae editionem pararem. Accedebant aliae insuper caussae, quae a proposito me deterrebant. Itaque satius duxi, de locis iis, qui nondum satis recte tractati viderentur, separatim meam proponere sententiam. Neque enim vir eruditissimus omnibus locis, qui vel explicandi vel corrigendi erant, operam praestitit: id quod ne voluisse quidem eum, ipsa eius verba ac tota editionis ratio et consilium testantur. Accedit, quod nonnulla etiam eo fine videtur proposuisse, ut ab aliis diligentius perquirerentur. De his omnibus quid ego sentiam, candide iam expromere placet. Rogatum autem volo quam maxime virum praestantissimum, ut si quid contra eum proposuerim, id non obloquendi quadam libidine, a qua longissime remotus sum, sed solo veri cognoscendi amore ac studio scriptum esse existimet.

Initium disputationis faciam ab iis locis, qui nuperrime Sophoclis ingenio abiudicati et pro insititiis habiti sunt. Scilicet quod superiore saeculo Valkenarius et post eum Boeckhius Euripidis quibusdam tragoediis accidisse monuerunt, ut antiquissimis temporibus vario modo interpolarentur, idem nuper Iacobus, professor Varsaviensis, extitit qui in Sophoclis Philocteta factum esse censeret. De qua re scripsit in *Quaestionibus Sophocleïs*, quarum primum volumen proximo anno Varsaviae editum est. Atque contigit ei, ut sententiam suam Buttmanno approbaret, qui alios etiam locos, de quibus nihil monuit Iacobus, interpolatorum nu-

mero accensuit. Loci autem, quos eo nomine notarunt, hi sunt: vs. 36. — vss. 268. 269. 270. — vs. 716. — vss. 776. 777. 778. — vss. 1365. 1366. 1367. — vss. 1437. 1438. 1439. 1440. ed. Buttm. —

Equidem statim in limine disputationis profiteor, mihi a virorum doctissimorum iudicio plane discedendum videri. Neque nego, me spem fovere, fore, ut omnes fere loci certis argumentis Sophocli vindicentur. Quamquam enim argumenta, quae duumviri doctissimi ad stabiliendam sententiam suam protulerunt, per se spectata utique magnam probabilitatis speciem habent, tamen diligentius examinata ac ponderata, et singulorum locorum, qui impugnati sunt, ratione accuratius explorata, non talia mihi visa sunt, quae satisfacere possint. Utitur autem Iacobus his potissimum argumentis, quod auctor modo negligenter locutus sit, modo res commemoraverit, quarum mentio nullum plane usum habeat, modo talia scripserit, quae cum aliis huius fabulae locis vehementer pugnent. Buttmannus quum in nota ad vs. 1437. paucis comprehenderit rationes, quibus est in eandem opinionem adductus, ipsius verba apponam. Is igitur ita disserit:

„Sed dum in ultimo hoc eorum quae tanquam vitiosa huic dramati obiiciuntur versor, non negabo iustam tamen dubitationem residere, quando terque quaterque in simili re excusatione eget opus aliquod. Atque in illo quidem de Aiace loco vs. 1365. manifestam agnovimus interpolationem; alterum illum vs. 777. de arcu, Philoctetae perinde atque Herculi aerumnoso, explicavimus quidem, sed ita, fateor, ut ne nobis quidem ipsis satisfaceremus; hic in loco de Aesculapio melius, puto, defuncti sumus; tamen illud suspensos nos retinet,

quod in tribus his locis species saltem, quam evitare poterat poeta, duplicis in fabula narrationis nobis se obtulit; cui generi illud etiam accenseas, quod in eo, qui propter dictionem potissimum negligentem, neque immerito, reprehenditur, loco (268) Chryses ut insulae nomen legitur, quod reliquis duobus deae vel nymphae nomen est; quodque Graecorum e Chryse in Lemnum navigatio ibi memoratur, cuius nulla praeterea mentio, eius autem quae ibi fit, ut vere monet Iacobus, usus nullus apparet. Iam si his addas duo alia illa contradictionis crimina, in *ignitabulo* ad vs. 36. et in *fontibus* ad vs. 717. quorum alterum prorsus non, alterum certe non coram omni iudice diluimus; negari non potest, sat multa neque levia illa in una fabula interpolationis indicia congregari. De quibus singulis nos, Iacobi modestiam imitati, peritioribus iudicium relinquimus. Totum autem hunc de antiqua dramatum interpolatione locum egregie tractatum invenient studiosi in Boeckhii libro de Aeschylo, Sophocle, Euripide p. 10. sqq.“

Quae qui legerit, statim videt, totam hanc de interpolationibus quaestionem satis modeste quidem, sed breviter admodum et dubitanter a viris excellentissimis institutam esse. Unde factum, ut qui adversarii partes suscipere velit, difficultatibus quibusdam sese impeditum sentiat. Primum enim omnino difficile est, disputare contra eos, qui dubitanter et modeste locuti sunt. Deinde vero magna adhibenda est cautio, ne ubi brevius viri doctissimi, quid statuant, exposuerint, talem iis tribuas sententiam, a qua, copiosius si disseruissent, longe eos abesse appareret.

Verumtamen quum viris praestantissimis ita hanc rem tractare visum sit, ego quidem summo-

pere cavebo, ne iniquus erga eos videar, ipsos autem etiam atque etiam rogo, ut ne malevolo animo factum arbitrentur, sicubi ipsorum mentem non satis recte interpretatus fuerim.

Iam vero rem ipsam aggredi liceat. Ac primum quidem eum locum defendere placet, qui legitur vs. 268—270. Nexus caussa descriptum hic dabo totum locum, qui cum tribus istis versibus arcte cohaeret.

Ὦ τέκνον, ὦ παῖ πατρὸς ἐξ Ἀχιλλέως,
ὅδ' εἴμ' ἐγώ σοι κεῖνος, ὃν κλύεις ἴσως
τῶν Ἡρακλείων ὄντα δεσπότην ὅπλων,
ὁ τοῦ Ποίαντος παῖς Φιλοκτήτης, ὃν οἱ
δισσοὶ στρατηγοὶ χὠ Κεφαλλήνων ἄναξ
ἔῤῥιψαν αἰσχρῶς ὧδ' ἔρημον, ἀγρίᾳ
νόσῳ καταφθίνοντα, τῆς ἀνδροφθόρου
πληγέντ' ἐχίδνης ἀγρίῳ χαράγματι·
ξὺν ᾗ μ' ἐκεῖνοι, παῖ, προθέντες ἐνθάδε
ᾤχοντ' ἔρημον, ἡνίκ' ἐκ τῆς ποντίας
Χρύσης κατέσχον δεῦρο ναυβάτῃ στόλῳ.
τότ' ἄσμενοί μ' ὡς εἶδον ἐκ πολλοῦ σάλου
εὕδοντ' ἐπ' ἀκτῆς ἐν κατηρεφεῖ πέτρῳ,
λιπόντες ᾤχονθ', οἷα φωτὶ δυσμόρῳ
ῥάκη προθέντες βαιά, καί τι καὶ βορᾶς
ἐπωφέλημα σμικρόν, οἷ' αὐτοῖς τύχοι.

Iacobus, qui primus vss. 268—270. spurios iudicavit, haec tria attulit argumenta, quibus sententiae suae fidem faceret: primum, quod verba *ξὺν ᾗ* parum commode ad remotius nomen *νόσῳ* referantur; alterum, quod et verba et sententiae male repetitae sint in his: *ἔῤῥιψαν ἔρημον — προθέντες ἐνθάδε ᾤχοντ' ἔρημον — τότ' ἄσμενοί με λιπόντες ᾤχοντο — ῥάκη προθέντες βαιά —*; tertium denique, quod Philoctetes verbis *ἡνίκα — στόλῳ* non locum, ubi mor-

bo sit affectus, indicet, sed Graeci ubi fuerint, antequam ipsum in Lemno exponerent, praeter necessitatem commemoret. Neoptolemum enim ex Philoctetae certe opinione ignorasse, in Chryse insula eum a serpente morsum esse. Buttmannus ad hunc locum quamquam negligentiae notam (cui et illud ἀγρίᾳ νόσῳ — ἀγρίῳ χαράγματι ab Iacobo non tactum ut quod maxime obnoxium sit) ab his versibus non usquequaque defendere se posse fatetur, caussam tamen, cur haec addita fuerint, ullam se videre negat. Nihilominus lectorem ablegat ad ea, quae scripserit ad vs. 1437. Ibi vidimus virum doctissimum ad probandam Iacobi opinionem hoc addidisse argumentum, quod Chryses ut insulae nomen hic legatur, quod reliquis duobus locis deae vel nymphae nomen sit.

Quod postremum argumentum fateor me omnium maxime mirari quomodo potuerit in medium proferri. Traditum habemus a pluribus scriptoribus, Philoctetam in insula Chryse dicta a serpente vulneratum esse, quod aram, Chrysae sive deae sive nymphae sacram, investigaverit. Cfr. Pausan. VIII, 33, 2. Eustath. ad Hom. p. 330. Rom., Tzetz. ad Lycophr. vs. 911. p. 869. ed. Müll., et Schol. ad huius fab. vs. 194. Pauciores scriptores iique tales, quorum minor est auctoritas, alia in insula aram istam fuisse referunt. Cfr. ipse Buttmannus ad argum. metr. p. 59. sqq. — Itaque fieri non potest, ut quis eo, quod in hac Sophoclis tragoedia Chryse insula commemoretur, offendatur, nisi ineptam esse illam narrationem doceat, ideoque Sophoclem non debuisse sequi putet. At vero omnium simplicissima est ista narratio, et ipsi Buttmanno p. 60. antiquissima fuisse visa est.

Non minus in eo falli videtur Buttmannus cum eoque Iacobus, quod Graecorum e Chryse in Lem-

num insulam navigationem inutiliter hic commemorari credunt. Habet enim huius navigationis mentio eam vim, ut Neoptolemus doceatur, quo tempore quaque occasione Philoctetes Lemnum sit deductus. Quippe manifestum est, significari hic primam Graecorum adversus Troiam profectionem, quae paullo ante πρῶτος πρὸς Ἴλιον στόλος dicta est vs. 247. Eam expeditionem (πρῶτον πρ. Ἴλ. στόλον) notam sibi esse, modo Neoptolemus coram Philocteta significavit: itaque hoc quoque compertum habere existimandus erat, Graecos eo tempore Chrysen insulam appulisse, ut altare, quod Chrysae nymphae ibi extructum erat, investigarent investigatumque sacrificiis honorarent. Hoc enim nisi fieret, Troiam expugnari non posse praedictum erat. Cuius rei notitiam quum haberet Neoptolemus, fieri non potuit, quin navigationis illius commemoratione de tempore, quo expositus esset Philoctetes, certior fieret. Nam etsi hoc, ut omnia alia, quae Philoctetae vitam attinebant, bene noverat, debebat tamen, quum se horum quidquam scire negasset, denuo a Philocteta eorum mentio fieri. Praecipue autem eius orationi temporis mentionem convenire, quo Lemni sit relictus, nemo profecto erit, quin intelligat. Itaque iam per se verba ἡνίκα — στόλῳ satis aptum locum tenere, comprobatum est. Accedunt autem alia, e quibus ne abesse quidem ea posse certo mihi prodire videtur. Pergit enim ita Philoctetes:

τότ' ἄσμενοί μ' ὡς εἶδον ἐκ πολλοῦ σάλου
εὕδοντ' ἐπ' ἀκτῆς ἐν κατηρεφεῖ πέτρῳ
λιπόντες ᾤχονθ' etc.

Ipse quidem Iacobus intellexisse videtur, continere haec verba aliquid, quod non cohaereat cum iis, quibuscum, eiectis versibus 268 sqq., coniungenda sunt.

Postquam enim argumenta, quibus versus istos impugnavit, exposuit, p. 311. haec addit: „Nec vero, his exemtis versibus, orationis coniunctio restitutu esset difficilis, imo expeditissima: quamquam dubito equidem, an non liceat huiusmodi in ulceribus, tam inveteratis, critico uti cultello: quare neque vincturam his nostram adhibemus, sed digito monstrasse locum peritorumque eum proposuisse iudiciis satis habemus.“

Dolendum est, non expromsisse virum doctissimum, qua ratione nexus sibi restitui posse visus sit. Liceret enim certius et ad persuadendum accommodatius de hoc loco disputare. Attamen valde equidem vereor, ne vinctura, qua adhibita nexui succurratur, nulla excogitari queat, certe non talis, quae facilis dicatur. Nam particula τότε, omninoque totus versus, cuius facit initium, si retinetur, necesse est, etiam proxime antecedentia pro genuinis habeamus.

Flagitat autem illa, ut aliquid in praecedentibus dictum sit, quo possit referri. Eiectis versibus 268—270. eam ad verba ἐῤῥιψαν ἔρημον referendam esse, in aperto est. Iam hoc dicit Philoctetes, *se tum temporis, quum esset in desertum locum proiectus, somno sopitum esse relictum.* At hoc mire dictum est. Prioribus enim verbis, ὃν ἔῤῥιψαν ἔρημον, ipsum illud manifecto iam continetur, quod deinde narrat, se relictum esse. Porro vix intelligi potest, quo sensu adiectivum ἄσμενοι additum sit. Perspicuum quidem est, per grammaticam rationem hoc verbum cum illis ὡς εἶδόν με εὕδοντα coniungendum esse, ideoque Atridas inde gaudium cepisse dici, quod Philoctetam dormientem vidissent. Sed cur ea re gavisi essent, postquam eum in desertum locum proiecissent, non puto idonea ratione explicari posse.

Immo utraque vox, et τότε et ἄσμενοι sic tantum aptum sensum praebent, si praecedit talis sententia, qualis comprehenditur verbis ἡνίκα — στόλῳ. Particula τότε iam ad tempus spectat, quo Lemnum Atridae cum exercitu appulerant: atque huius dicti respectu habito recte Atridae gavisi esse dici poterant, quod Philoctetam somno oppressum vidissent. Id enim tum, quum appulissent eo consilio, ut illum dolo quodam exponerent, admodum opportune eis accidere debebat, neque vero postquam eum iam exposuissent. Tantum igitur abest, ut verba ἡνίκα — στόλῳ eiici possint, ut ad sententiae integritatem quam maxime sint necessaria. Nego autem, vs. 271. sic posse mutari, ut difficultates, quas exposui, omni ex parte removeantur.

Sequitur, ut reliqua diluam argumenta, quibus vss. 268 — 270. impugnati sunt. Ex quorum numero primum istud facile eximi potest, quod petitum est ex collocatione verborum ξὺν ᾗ, quae a nomine, quo pertineant, nimis sint remota. Pronomen enim relativum saepius a substantivo, ad quod referendum est, pluribus verbis disiungitur, quum ea, quae interiiciuntur, aut obiter commemorantur, aut appositionem faciunt. Illustre exemplum praebet Sophoclis Trachin. vs. 357., ubi conferatur Hermannus. Alia huius generis exempla attulit Reisigius in Commentatt. Critt. ad Oedip. Col. vs. 261. p. 224.

Porro quod sententiarum nexum attinet, nihil otiose repetitum. Versibus 265 — 267. simpliciter refert Philoctetes, se expositum esse ab Atridis saevo morbo tabescentem. Cuius morbi originem quum pluribus exposuisset, eaque expositione verba ἡνίκα — στόλῳ ab antecedentibus ἔῤῥιψαν — καταφθίνοντα, quibuscum arcte copulanda erant, longius distracta es-

sent: denuo, ne hiulca existat oratio, repetit ea, quae sibi acciderant gravissima, et cum vi ita pergit:

ξὺν ᾗ μ᾽ ἐκεῖνοι, παῖ, προθέντες ἐνθάδε
ᾤχοντ᾽ ἔρημον, ἡνίκ᾽ etc.

„mit *dieser* haben mich jene einsam hierher geworfen," etc. Hoc enim animum Philoctetae cum maxime pungebat, quod morbo afflictus proiectus esset in desertum locum. Nihil autem hominum naturae magis proprium, quam eam rem, quae animum mirum in modum turbat vel sollicitat, repetitis verbis commemorare. Similia ex hac et aliis depromta tragoediis vide in Buttmanni nota ad vs. 333. — A versu denique 271. rationem, qua sit expositus, fusius describit. Postremo quod de verborum quorundam repetitione dictum est, id nullam habere vim, facile intelliget, qui meminerit, veteres poetas hac in re multo fuisse negligentiores quam nostrates, quorum si quis idem vocabulum toties repeteret, quoties repetitum in Hom. Odyss. XIX, 204 sqq.:

τῆς δ᾽ ἄρ᾽ ἀκουούσης ῥέε δάκρυα, τήκετο δὲ χρώς·
ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ᾽ ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,
ἥν τ᾽ Εὖρος κατέτηξεν, ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύοι·
τηκομένης δ᾽ ἄρα τῆς ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες·
ὣς τῆς τήκετο καλὰ παρήϊα δακρυχεούσης.

sane pro inficetissimo poeta haberetur. Plura si quaeris exempla, adeas Weichertum meum in Dissertatione de Verss. aliquot P. Virgilii Maronis et C. Val. Flacci iniuria suspectis p. 95—99.

Progredior ad alterum genus locorum, qui propterea pro insititiis habiti sunt, quod quae iis inest sententia pugnare visa est cum iis, quae aliis huius fabulae locis referuntur. Perperam autem in hunc numerum relatus est ille locus, qui legitur vss. 776—778.:

ἰδοὺ δέχου, παῖ· τὸν φθόνον δὲ πρόσκυσον,
μή σοι γενέσθαι πολύπον' αὐτά, μηδ' ὅπως
ἐμοί τε καὶ τῷ πρόσθ' ἐμοῦ κεκτημένῳ.

Hos quoque versus primus Iacobus in suspicionem vocavit, cui Buttmannus si minus ad hunc locum, tamen ad vs. 1437. satis aperte astipulatus est. Contradictio, quae hic notatur, in eo est posita, quod Philoctetes quum arma sua aerumnosa dicat, nunc ad eam fabulam respicere videatur, secundum quam una ex sagittis suis venenatis vulneratus esse perhibetur: quum tamen in reliquis huius fabulae locis ubique serpentis morsu in morbum incidisse dicatur. Cfr. vss. 193—194. 266—267. 631—632. et 1326—1328. Equidem omnino assentior viris doctissimis, quod negant, Sophoclem alteram istam fabulam hic sequi potuisse, quum tot locis tam disertam vulneris a serpente inflicti mentionem faciat. Itaque ipse hunc locum spurium iudicarem, nisi alia eius explicandi via pateret, quam quae inita est a duumviris doctissimis. Nam quod Buttmannus ad h. l. putavit, arcum Philoctetae *πολύπονον* dictum videri posse ob aerumnosam vitam, quam ope illius gesserit, ipse postea improbavit. Accedit tamen haec explicatio iam propius, ut arbitror, ad verum. Persuasum enim mihi est, sagittas propterea dici aerumnosas, quod qui eas gestarunt, Philoctetes et Hercules, miseriis colluctabantur. Hercules quidem ipso sagittarum usu inciderat in miserias, quae hic respiciuntur: cuius cum casu suum quum componat nunc Philoctetes, primo obtutu sane adducimur, ut simili ratione huic quoque arma malorum, quibus premebatur, caussam fuisse credamus. Sed alia est Philoctetae mens et sententia, qui dum arcum traditurus est Neoptolemo, optat, ut ne accipiendo eo simul malorum particeps fiat, quibus obnoxii fuerint, qui adhuc eum

gestaverint. Ex eo enim, quod ipse et Hercules, quum arcum istum possiderent, infelices erant, colligit, hoc ei tanquam proprium esse, ut quicunque eo utatur, aerumnis afficiatur. Neque pugnat haec sententia, ut videtur Iacobo, cum eo, quod Philoctetes vs. 670. arcum illum gratum amici munus esse dicit. Hercules enim eo consilio Philoctetae sagittas donaverat suas, ut utilem earum usum perciperet, neque vero, quod fore non praevidebat, ut acceptis iis in dolorum miseriarumque societatem veniret. Isto animo quum Philoctetes sagittas sibi donatas crederet, grati muneris loco recte eas habere poterat, etiamsi mala sibi sua inde orta esse putaret.

Non multum ab huius loci ratione diversus est iste locus, in quo Hercules se Aesculapium Troiam missurum dicit, qui Philoctetam morbo liberet. Verba eius haec sunt (vss. 1437—1440.):

ἐγὼ δ' Ἀσκληπιὸν
παυστῆρα πέμψω σῆς νόσου πρὸς Ἴλιον·
τὸ δεύτερον γὰρ τοῖς ἐμοῖς αὐτὴν χρεὼν
τόξοις ἁλῶναι.

Quae negat Iacobus a Sophocle scribi potuisse, quia pugnent cum Heleni vaticinio, cuius auctoritate supra vss. 1333—1339. Neoptolemus Philoctetam ab Aesculapii filiis sanatum iri praedixerit. At recte iam Buttmannus monuit, non omnia, quae isto loco dicat Neoptolemus, Helenum praedixisse existimandum esse. Is simpliciter Troiam sine Philoctetae ope eiusque sagittis expugnari non posse patefecit. Quod intelligi licet ex omnibus scriptorum locis, in quibus oraculi illius mentio iniicitur. Cfr. huius fab. vss. 610—613., Eurip. Philoct. in Paraphr. Dionis Chrysost. p. 119—120. (Valk. Diatr. Eur.), Schol. ad Pindar. Pyth. I, 100., Eustath. ad Hom. Iliad. p. 330. ed. Rom., quem descripsit Phavorinus p. 1833.

Reliqua quae ibi narrat Neoptolemus eventura esse Philoctetae, ea quisque auditorum non Heleni auctoritate, sed Neoptolemi coniectura niti intelligebat; ut illud, quod Aesculapii filios morbo eius curationem adhibituros esse dicit. Sciebat Neoptolemus, Philoctetam nonnisi Troiam profectum sanari posse: nesciebat autem, qui eum sanaturus esset. Prius maximi erat momenti: alterum scire ne ipsius quidem Philoctetae magnopere interesse poterat. Itaque paullo post in universum Graeci, qui Troiam oppugnabant, eius morbum depulsuri dicuntur vs. 1378 sq.:

πρὸς τοὺς μὲν οὖν σε τήνδε τ' ἔμπνουν βάσιν
παύσοντας ἄλγους, κἀποσώζοντας νόσου.

et vs. 1391. Atridae:

ἀλλ' ἐκβαλόντες σ' εἰ πάλιν σώσουσ', ὅρα.

qui loci, ab Iacobo non commemorati, quemadmodum ipsi non possunt pro spuriis haberi, ita illud etiam satis convellunt argumentum, quo Iacobus vss. 1437 sqq. insititios esse evincere studuit.

Tres reliqui sunt loci, quorum sane eam esse sententiam concedo, quae pugnet cum iis, quae aliis locis eadem de re narrantur. Differunt tamen hi quoque inter se, neque infitias eo, istum locum, qui legitur vss. 1365—1367. ed. Buttm., magnam habere offensionem. Sed quod in duobus reliquis locis reprehensum est, id ex eo genere mihi esse videtur, quod in poetae carmine, qualis est tragoedia, omni offensione vacuum sit. Prior locus, qui huc pertinet, legitur vs. 36. Neoptolemus ibi astans Philoctetae antrum idque perlustrans narrat Ulyssi res, quas inesse videt, quaeque comprobent, antrum adhuc a Philocteta habitari. In his esse refert vss. 35—36.:

αὐτόξυλόν γ' ἔκπωμα, φλαυρούργου τινὸς
τεχνήματ' ἀνδρός, καὶ πυρεῖ' ὁμοῦ τάδε.

Quaestio est, quae sit verbo πυρεῖα subiecta sententia. Ac recte quidem puto Buttmannum Gedikii rationem reiecisse, qui propter ea, quae vs. 296. narrantur, voce πυρεῖα lapides significari opinatus est, quorum conflictu Philoctetes ignem elicuerit. Una restat explicatio, ut πυρεῖα interpretemur ligna igniaria: eaque cum Buttmanno plerisque editoribus probata est, inter quos Musgravius monuit, nihil ei obstare, quod infra vs. 296. Philoctetes silicum attritu ignem se excitasse testetur. Poetam enim in talibus non oportere esse constantem. Cui Buttmannus etsi in nota ad h. l. quodammodo assentitur, tamen ad vs. 1437., ut vidimus, eo inclinat, ut vs. 36. insititium esse putet.

Nolo ego ad defendendum hunc locum artificio uti, quod alicui in mentem venire possit, ut utramque rem, et ligna et lapides ad ignem eliciendum Philoctetam usurpasse dicam: quod etsi per se non est plane improbabile, poetam tamen, quum scriberet, quae leguntur vs. 296., ea de re non puto cogitasse, sed persuasum mihi est, temere postulari, ut poeta in eiusmodi rebus, quae ad virtutem carminis nihil omnino faciunt, religiosam industriam diligentiamque ponat. Omnium maxime autem eum errare crediderim, qui veterum tragicorum fabulas ad istam severitatis legem examinandas perscrutandasque existimet. Qui quum tragoedias non in lectorum, sed auditorum gratiam componerent, non ut critici severi, qui singula verba et dicta rimaretur, iudicio satisfacerent, sed ut auditorum animos delectarent et commoverent, eorumque plausum excitarent: qui tandem probabile est, diligentes eos fuisse in rebus, ad quas nemo auditorum animum adverteret? Cuius rei argumentum si nolebat Buttmannus ex hoc, de quo agitur, loco solo petere, in

promtu erat alius locus, qui rem extra controversiam ponit. Dico versum 716 sq.:

λεύσσων δ' εἴ που γνοίη στατὸν εἰς ὕδωρ
ἀεὶ προσενώμα.

Offensi sunt in hoc loco viri quidam docti, quod aqua stagnante Philoctetes usus dicitur, quum vs. 21. de fonte, qui prope antrum fuerit, sermo sit, et ipse Philoctetes in fine fabulae vs. 1461. pluribus fontibus valedicat. Itaque verbum στατόν non uno modo mutare conati sunt. Buttmannus ad h. l. ita poetam excusari posse observat, quod haec Chorus dicat, qui locos ipsos non noverit, sed vitam Philoctetae imaginando sibi fingat. Sed ad vs. 1437. hunc locum iis accenset, qui vix videantur a poeta compositi esse. At debebat vir praestantissimus reputare, hunc versum omnino pro insititio haberi non posse, nisi simul ista, quae leguntur in antistropha scripta, ab aliena manu addita esse demonstraret. At hoc demonstrari nequit, quandoquidem illa ita cum antecedentibus cohaerent, ut abesse non possint. Itaque ex hoc loco certo certius poterat cognosci, esse haec contradictionis genera talia, quae iure suo sibi poetae indulserint. Neque enim de mutando verbo στατόν cogitare licet. Possis fluentem aquam, quae quibusdam commemoranda videtur, restituere legendo ῥυτόν. Sed ineptum hoc foret. Verba enim, quae sunt adiecta, manifesto indicant, poetae mentem hanc esse: debuisse Philoctetam, quoties bibere voluerit, toties prospicere locum, unde aquam peteret. Quod de aqua fluente dici non potuit. Neque vero cum Buttmanno contradictionis, quae admissa est, excusationem inde petam, quod Chorus haec proferat, qui locos ipsos non noverit. Nam id, quod Chorus canit, composuit poeta, quem si statuimus Chori persona sic usum esse, ut ab

eo dici iuberet, quae ipse et auditores non usquequaque vera esse tenebant, quam tandem vim in commovendis et delectandis auditorum animis habuisse putabimus? Voluit autem poeta hoc Chori cantu auditores ad miserationem tristissimae, qua Philoctetes oppressus iacebat, vitae conditionis abripere. In quam rem si proferebat talia, quae auditores non vera esse intelligebant, profecto tantum abest, ut, quod vellet, assequi posset, ut in reprehensionem auditorum necessario deberet incurrere. Immo necesse est, Sophoclem, quum cantum hunc componeret, rei, quam tractare instituerat, gravitate ita putemus occupatum fuisse, ut non anxie laboraret, quomodo ea, quae ingenium suppeditabat, accuratissime cum iis, quae ante dixerat et postea dicturus erat, congruerent, sed ut miserrimam Philoctetae vitae imaginem proponeret: qua quidem ita fuisse Atheniensium animos affectos probabile est, ut mallent ad Philoctetae miserationem rapi, quam frigidi critici partes agere.

Unus superest locus, quem ante Iacobum et Buttmannum iam Brunckius pro adulterino habuit textuque eliminavit. Is legitur inter vss. 1365 et 1367. ed. Buttm. Philoctetes ibi rationem reddit, cur adduci non possit, ut denuo in Atridarum societatem veniat, simulque mirari se fatetur, quomodo Neoptolemus iterum cum iis bellare animum inducat, quos turpissimos esse homines noverit. Hoc sic exprimit:

καὶ σοῦ δ' ἔγωγε θαυμάσας ἔχω τάδε·
χρῆν γάρ σε μήτ' αὐτόν ποτ' ἐς Τροίαν μολεῖν,
ἡμᾶς τ' ἀπείργειν, οἵ γε σου καθύβρισαν
γέρας πατρὸς συλῶντες, οἳ τὸν ἄθλιον
Αἴανθ' ὅπλων σοῦ πατρὸς ὕστερον δίκῃ

'Οδυσσέως ἔκρινανˑ εἶτα τοῖσδε σὺ
εἰ ξυμμαχήσων, κἄμ' ἀναγκάζεις τόδε;

Ita hunc locum interpungendum puto. Nam quod Aug. Matthiaeus, quem secutus est Buttmannus, existimavit, verba οἵ γε σου καθύβρισαν referenda esse ad sequentia εἶτα τοῖσδε σὺ etc., sermone in verbo ἀπείργειν graviter abrupto, id et orationi affert duritiem, cuius apud Sophoclem nullum, puto, reperitur exemplum, et sensui non minus officit. Etenim non tam hoc urget Philoctetes, Neoptolemum nunquam Troiam debere proficisci, quam potius, quod totius loci nexus docet, abstinendum ei esse in posterum ab eorum consuetudine, quorum iniuriam ipse passus sit. Itaque tota orationis vis in eo est posita, ut prohibeatur Neoptolemus, quo minus ad homines istos accedat, quorum mala fraus ipsi innotuerit. Ea vero vis postulat, ut verba ἀπείργειν οἵ γε etc. per attractionem dicta putemus, pro ἀπείργειν τούτων, οἳ etc. Quod loquendi genus constat cum ab omnibus Graecae linguae scriptoribus, tum maxime a tragicis usurpari. Ita huius fab. vs. 139. dictum γνώμα παρ' ὅτῳ pro γνώμα ἐκείνου, παρ' ὅτῳ. Similiter vs. 662 sq.:

ὅσιά τε φωνεῖς, ἔστι τ' ὦ τέκνον θέμις
ὅς γ' ἡλίου τόδ' εἰσορᾶν ἐμοὶ φάος
μόνος δέδωκας, etc.

Eodemque modo vs. 957.:

ἀλλ' αὐτὸς τάλας
θανὼν ὑφέξω δαῖθ' ὑφ' ὧν ἐφερβόμην.

Ad idem dictionis genus referendum puto, quod legitur in Sophoclis Electra vs. 434 sqq. ed. Herm.:

σκέψαι γάρ, εἴ σοι προσφιλῶς αὐτῇ δοκεῖ
γέρα τάδ' οὑν τάφοισι δέξασθαι νέκυς
ὑφ' ἧς θανὼν ἄτιμος, ὥστε δυσμενής,
ἐμασχαλίσθη, etc.

Cuius loci simplicissima explicandi ratio haec mihi videtur, ut αὐτῇ ad σοί relato ante verba ὑφ' ἧς pronomen ἐκείνης subaudiamus.

Sed haec obiter dicta sint. Quaerendum est iam de Philoctetae verbis: οἵ τὸν ἄθλιον — ἔκρινας, quae Brunckius his verbis insititia esse comprobare studuit:

„Quae olim ab homine ineptissimo inferta fuerunt, sustuli. Non tanta incogitantia fuit tragicus noster, ut in dramate omnium quotquot sunt perfectissimo (?) sibi ipsi tam stolide contradiceret inutili mentione cuiuspiam facti, quod toti fabulae oeconomiae repugnat, eamque subverteret. Nihil omnino eorum, quae ad Troiam gesta fuerant, Philoctetes ante illum diem inaudiverat; litem Ulyssis cum Aiace de Achillis armis prorsus ignorabat: quin ipsi supra 412. dixerat Neoptolemus Aiacem ante Achillem fato functum fuisse. Praeterea color ipse assuti centonis mangonem prodit: Sophoclemque ignorat eiusque stilum, si quis eum ista scribere potuisse opinatur."

Brunckii iudicio subscripserunt Iacobus et Buttmannus, quorum prior argumentis a Brunckio allatis hoc addidit, quod aliena etiam ista Aiacis commemoratio sit, quandoquidem Philoctetes ob eam potissimum caussam Neoptolemum ab Atridarum partibus abstrahere studeat, quod ipse sit eorum iniuriam expertus.

Primum ipse Buttmannus concessit Erfurdtio, locum integrum tuenti, in iis, quae de stilo tam paucorum verborum dicta sint, nimis acutum cernere Brunckium: neque profecto erit, quin concedat. Deinde vero ne hoc quidem verum, quod cum Brunckio Buttmannus contendit, dixisse supra vs. 412. Neoptolemum, Aiacem ante Achillem esse mortuum. Interrogatus a Philocteta vs. 410.:

ἀλλ' οὔτι τοῦτο θαῦμ' ἔμοιγ', ἀλλ' εἰ παρὼν
Αἴας ὁ μείζων ταῦθ' ὁρῶν ἠνείχετο.

respondet Neoptolemus vs. 412 sq.:

οὐκ ἦν ἔτι ζῶν, ὦ ξέν'· οὐ γὰρ ἄν ποτε
ζῶντός γ' ἐκείνου ταῦτ' ἐσυλήθην ἐγώ.

E quibus verbis quomodo quis colligere possit, Aiacem ante Achillem diem supremum obiisse, fateor me vix assequi. Nihil enim dicit Neoptolemus, nisi eo tempore, quo sit armis privatus, non amplius in vivis fuisse Aiacem. Itaque in eo nihil repugnantiae est, quod hic Aiax post Achillem e vita discessisse dicitur. At illud sane verum est, ignorare Philoctetam litem, quae inter Aiacem et Ulyssem de armis Achilleis orta erat. Neque quicquam dubito, quin poeta his verbis revera ad litem istam respexerit. Cuius rei indicium satis grave latet in epitheto τὸν ἄθλιον, quod qui simplici neque contorto interpretandi genere utitur, necesse est ad extrema fata et interitum Aiacis referendum fateatur. Addam ipse, nihil ut dissimulem, novum argumentum, quod apte viri doctissimi in rem suam convertere poterant. Dicit Philoctetes vs. 410 sq., quem modo attulimus, mirationem sibi facere, quod Aiax non intercesserit, quo minus Atridae Neoptolemo arma patris denegarent: cui Neoptolemus reponit, sane si vixisset ille, non futurum fuisse, ut iis privaretur. Ex quo loco perspicuum est, Philoctetam in ea fuisse sententia, ut Aiacem ne accepturum quidem fuisse Achillis arma, sed concessurum cui debebantur arbitraretur. Duo ergo sunt, quae in hoc loco magnae obnoxia sunt offensioni, primum, quod Philoctetes aliquid dicit, quod revera ignorabat, deinde, quod id ipsum non congruit cum iudicio, quod ante fecerat. Quibus quidem de caussis ipse aliquando Brunckio

assentiens locum illum spurium iudicabam. Sed re diligentissime pensitata magnopere vereor, ne eiectis his versibus poetae manum emendemus quidem, neque vero integram conservemus. Nam quod per se non est improbabile, factum esse nonnunquam, ut poetae, quod res ferebat, personae tribuerent, quae id ipsum, quod dicebat, revera ignorabat, quid si Sophoclem hic fecisse putemus? Postulabat totius loci ratio, ex quo petiti sunt versus isti, ut nihil reticeret poeta, quo Atridas pessimos esse homines patefieret. Iam quid mirum, si hoc intuens in eoque defixus turpissimum istud Atridarum facinus commemoravit, quod in iudicio de Achilleis armis proditum, omnibus notum et abominatum erat? Quid si poeta prioris narrationis quasi oblitus scripsit, quod consilio suo non poterat non videri accommodatissimum?

Ut autem concedam, hunc locum negligentiae cuiusdam notam prae se ferre, illos tamen incaute agere iudico, qui eum sine haesitatione textu eiiciendum statuunt. Quis est enim, qui veteres tragicos in iisque Sophoclem nunquam errare potuisse contendat? Quid, si alia in hac tragoedia deprehenduntur, e quibus probabilis ducatur coniectura, poetam in ea componenda paullo negligentius esse versatum? Atqui revera talia deprehenduntur, et, quod ad rem nostram plurimum facit, maxime in posteriore tragoediae parte: ita ut vix dubitem, quin eam poeta, fortasse temporis brevitate coactus, festinantius quam priorem conscripserit. Argumentum quidem in universum tam egregie Sophoclem tractavisse arbitror, ut iure meritoque primas reportaret, sed in iis rebus, quae ad delectationem non multum conferunt, quaedam sibi indulsisse puto, quae in reliquis, quas habemus, tragoediis non admissa deprehenduntur.

Quo refero compositionem numerorum maxime trimetrorum, qui non sunt ea arte conditi, quam in caeteris tragoediis adhibitam videmus. Indagavit quidem hoc iam summus Hermannus, monuitque ea de re in Programmate de Graecae linguae dialectis p. IX. et Elem. doctr. metr. p. 123., sed quum indicatum magis sit quam comprobatum, operae pretium me facturum opinor, si exempla, quibus veram omnino esse istam observationem pateat, omnia in medium proferam.

Posita est autem ista, quam dico, negligentia in eo, quod iusto plures longarum syllabarum solutiones factae sunt, quibus versus ea, quae tragoediae convenit, gravitate destituuntur et sermoni, comoediae proprio, similiores fiunt. *) Quo nomine quos ego versus iam notaturus sum, eorum maximam partem animadverti volo in posteriore tragoediae parte legi. Ut autem ordinem quendam teneam in eis proferendis, de cuiusvis pedis solutione deinceps dicere placet.

Constat inter rei metricae peritos, habere tum solutiones longarum syllabarum maximam offensionem, quum pro longa syllaba duae breves ponantur, quae unam efficiunt vocem, ictu in primam syllabam cadente. Ita etsi primus pes trochaicus versus tri-

*) Duo sunt, quae velim lector teneat a me in hac disputatione observata esse. Primum consulto silentio transii solutiones, quae in iis versibus trimetris admissae deprehenduntur, quos non recitatos sed decantatos esse constat. Est ubi in his omnes fere pedes soluti reperiantur: quod tamen non negligentia poetarum, sed ratione idonea factum esse putandum est. Deinde quoties Philoctetae fabulae versus reprehendi, feci hoc comparatione facta numerorum, quibus Sophocles in reliquis tragoediis et Aeschylus in iis, quas habemus, usi sunt.

metri in optimis quibusque tragoediis saepius reperitur in breves syllabas solutus, nunquam tamen hoc ita factum est, ut vox disyllaba longae syllabae sedem occupet. Nam quod encliticum ποτὲ nonnunquam a Sophocle eo in loco collocatur, huc transferri nequit, quandoquidem id cum praecedente τί, quicum iunctum deprehenditur, ita cohaeret, ut unam cum eo vocem efficere putandum sit. Unum apud Aeschylum huius solutionis exemplum extat in Choephor. vs. 216.:

καὶ τίνα σύνοισθά μοι καλουμένη βροτῶν.

Sed habet hoc exemplum a pronuntiationis ratione magnam excusationem. Nam pronominis τίς formas τίνα et τίνι sic fuisse pronuntiatas, ut unius fere syllabae instar essent, ex iis, quae paullo post producam, exemplis satis probabiliter videtur coniici posse. Certe tale vocabulum non posuisset isto in pede Aeschylus, quale v. c. Euripides posuit Orest. vs. 113.:

καὶ λαβὲ χοὰς τάσδ' etc.

At in Philocteta fabula scriptum est vs. 791.:

ὦ ξένε Κεφαλλήν, εἴθε σου διαμπερές.

quod etiamsi cui minus quam Euripideum καὶ λαβέ displiceat, tenendum tamen est, ne huius quidem solutionis exemplum in reliquis Sophoclis tragoediis ullum reperiri. Immo observandum est, rarissime etiam dactylum initium trimetri facere. Mihi certe tria tantum suppetunt exempla, quorum unum legitur in Aeschyl. Choeph. 986., alterum in Sophocl. Aiac. vs. 846., tertium in Soph. fragm. Ter., quod Schol. Ven. ad Hom. Iliad. ο, 705. memorant. In omnibus unum idemque nomen ἥλιος positum, quod mea sententia dubitari non potest quin ibi ut verbum disyllabum pronuntiatum

sit. *) Unde hos locos multo minus offensionis habere intelligitur, quam quod legitur in Philoct. vs. 1392.:

οὐδέποθ' ἑκόντα γ' ὥστε τὴν Τροίαν ἰδεῖν.

Porro quod initium trimetri attinet, notum est, in melioris notae tragoediis anapaestum sic tantum eo in loco collocari, ut uno verbo constet. In Sophoclis Aiace vs. 571. quod vulgo scribebatur μέχρις οὗ, ab Hermanno correctum est: qui quod olim suasit in Philoctetae vs. 795., ubi libri exhibent:

τὸν ἴσον χρόνον τρέφοιτε τήνδε τὴν νόσον.

articulum τὸν eiiciendum esse, videtur dudum improbasse.

De secundo versus trimetri pede nihil est quod moneam. Tertium pedem omnino frequentissime in tribrachum solvi constat. Neque raro fit, ut praepositiones διά, ἐπί, κατά, περί al. longae syllabae vicem teneant: in qua re vix ullam esse offensionem, notatum iam ab Hermanno Elem. doctr. metr. p. 123—124. Sed minus bene versus procedit, si tale verbum ad solutionem adhibetur, quale posuit v. c. Sophocles Aiac. vs. 336. ed. Herm.:

λεηλατήσει χρόνον; ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι.

quippe in quo pronuntiando vox diutius morari cogatur. Itaque in optimae notae tragoediis aut nulla aut rarissima huius solutionis exempla deprehenduntur. Vacant iis Aeschyli Prometheus, Septem contra Thebas et Agamemno. In Persis haec habes (vs. 181.):

ἐδοξάτην μοι δύο γυναῖκ' εὐείμονε.

*) Aeschyli Agam. vs. 7.:

ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν.

omisi, utpote quem a multis pro spurio haberi videam.

(vs. 295.)

τίς οὐ τέθνηκε, τίνα δὲ καὶ πενθήσομεν.

(v. 330.)

πολλῶν παρόντων δ' ὀλίγ' ἀπαγγέλλω κακά.

(vs. 403.)

ἐλευθεροῦτε πατρίδ', ἐλευθεροῦτε δέ.

(vs. 682.)

Πέρσαι γεραιοί, τίνα πόλις πονεῖ πόνον.

(vs. 793.)

πῶς τοῦτ' ἔλεξας, τίνι τρόπῳ δὲ συμμαχεῖ.

In Choephor. haec (vs. 130.):

λέγω, καλοῦσα πατέρ', ἐποίκτειρόν τ' ἐμέ.

(vs. 489.)

ὦ γαῖ', ἄνες μοι πατέρ' ἐποπτεῦσαι μάχην.

(vs. 885.)

τί δ' ἐστὶ χρῆμα; τίνα βοὴν ἵστης δόμοις;

In Eumenidibus haec (vs. 8.):

Φοίβῳ τὸ Φοίβης δ' ὄνομ' ἔχει παρώνυμον.

(vs. 183.)

ἀνῇς ὑπ' ἄλγους μέλαν' ἀπ' ἀνθρώπων ἀφρόν.

(vs. 602.)

ἀνδροκτονοῦσα πατέρ' ἐμὸν κατέκτανεν.

(vs. 892.)

ἄνασσ' Ἀθάνα, τίνα με φῂς ἔχειν ἕδραν;

In Supplicibus haec (vs. 214.):

ἁγνόν τ' Ἀπόλλω φυγάδ' ἀπ' οὐρανοῦ θεόν.

(vs. 303.)

τὸν πάνθ' ὁρῶντα φύλακ' ἐπεέστησεν βοΐ.

(vs. 516.)

ἀλλ' οὔτι δαρὸν χρόνον ἐρημώσει πατήρ.

(vs. 987.), qui ita vulgo se habet:

καὶ μήτ' ἀέλπτως δορὶ ἀνημέρῳ θανών.

corruptus videtur. Excipienda autem his exemplis ea putem, in quibus *τίνα* vel *τίνι* positum est; quod pronomen paullo ante significavi ita mihi videri pro-

nuntiatum fuisse, ut vix a voce monosyllaba differret. Idque ex eo colligo, quod ibi etiam, ubi licuit τῷ dicere, τίνι usurpatum est. Nam ut dicat quis, intercedere aliquam inter utramque formam significationis discrepantiam, tamen ea non tanta censeri potest, ut non licuerit illis in locis, ubi τίνι legitur, τῷ usurpare. Caeterum ex iis, quae attuli, exemplis abunde mihi patere videtur, non satis recte statui, circa Olymp. LXXXIX. demum istud solutionis genus invaluisse. Itaque non erit, ut in posterum quis Suppl. vs. 516. pro corrupto habeat.

In Sophoclis tragoediis haec extant exempla (Aiac. vs. 443.):

κρίνειν ἔμελλε κράτος ἀριστείας τινί.

vers. 343. iam supra attulimus.

(Electr. vs. 1475.)

οἴμοι, τί λεύσσω; — τίνα φοβῇ; τίν' ἀγνοεῖς;

(Oedip. Tyr. vs. 10.)

πρὸ τῶνδε φωνεῖν, τίνι τρόπῳ καθέστατε;

(ibid. vs. 741.)

τίν' εἶχε, φράζε, τίνα δ' ἀκμὴν ἥβης ἔχων;

(Antigon. vs. 55.)

τρίτον δ' ἀδελφὼ δύο μίαν καθ' ἡμέραν.

(ibid. 1279.)

τὰ μὲν πρὸ χειρῶν τάδε φέρεις, τὰ δ' ἐν δόμοις.

(Oedip. Colon. vs. 41.)

τίνων τὸ σεμνὸν ὄνομ' ἂν εὐξαίμην κλύων;

(ibid. vs. 305.)

θάρσει, παρέσται. πόλυ γὰρ, ὦ γέρον, τὸ σόν.

(ibid. vs. 570.)

παρῆκεν, ὥστε βραχέ' ἐμοὶ δεῖσθαι φράσαι.

(Trachin. vs. 1098.)

Ἅιδου τρίκρανον σκύλακ', ἀπρόσμαχον τέρας.

(ibid. vs. 1100.)

δράκοντα μήλων φύλακ' ἐπ' ἐσχάτοις τόποις.

At in una Philocteta fabula fere tot sunt exempla, quot reliquae Sophoclis tragoediae praebent, si exceperis Electr. vs. 1475. Oedip. Tyr. vs. 10. et vs. 741. Sunt autem haec (vs. 117.):

ὡς τοῦτό γ' ἔρξας δύο φέρῃ δωρήματα.

(vs. 1026.)

ἔπλεις ἅμ' αὐτοῖς· ἐμὲ δὲ τὸν πανάθλιον.

(vs .1232.)

παρ' οὗπερ ἔλαβον τάδε τὰ τόξ', αὖθις πάλιν.

(vs. 1297.)

ὅς σ' ἐς τὰ Τροίας πεδί' ἀποστελῶ βίᾳ.

(vs. 1332.)

πρὶν ἂν τὰ Τροίας πεδί' ἑκὼν αὐτὸς μόλῃς.

(vs. 1347.)

Τροίαν ἑλόντα, κλέος ὑπέρτατον λαβεῖν.

Septimum exemplum librariorum errore obscuratum puto. Legitur vs. 1381. vulgo:

ἃ σοί τε κἀμοὶ κάλ' ὁρῶ τελούμενα.

Constat inter omnes, poetas atticos verbum *καλός* ita constanter usurpare, ut prima syllaba corripiatur. Cui usui si qui locus adversatur, profecto ante omnia videndum, ne librariorum incuria corruptus sit. Ubi nulla, quae probabilis sit, correctio excogitari potest, tum demum videtur coniici posse, auctorem a consueta regula discessisse. Eius generis hunc locum esse Buttmannus putavit, quem quum parum apte ab editoribus correctum videret, maluit in vulgata scriptura acquiescere, quam incertam correctionem poetae obtrudere. Attulit etiam ad defendendam vulgatam scripturam vs. 1304., quem Turnebi auctoritate ita scriptum exhibuit:

ἀλλ' οὔτ' ἐμοὶ τοῦτ' ἐστὶ καλὸν, οὔτε σοί.

At libri omnes in hanc scripturam consentiunt;

ἀλλ' οὔτ' ἐμοὶ καλὸν τοῦτ' ἐστὶν, οὔτε σοί.

quorum maiorem quam unius Turnebi auctoritatem esse, mihi quidem certissimum videtur. Itaque Brunckium verum vidisse puto, qui levissima mutatione vs. 1304. ita restituit;

ἀλλ' οὔτ' ἐμοὶ καλὸν τόδ' ἐστὶν, οὔτε σοί.

Pronomina τοῦτο et τόδε saepissime permutata inveniuntur. Cfr. Porson. ad Eur. Phoen. vs. 1597. et Meinek. Cur. Crit. p. 61. sq. In Eurip. Oenom. fragm. IV., quod e Stobaeo petitum in edit. Beck. p. 460. ita exhibetur:

ἔνεστι πάντων πρῶτον εἰδέναι τουτί,
φέρειν τὰ συμπίπτοντα μὴ παλιγκότως.

non recte transpenendo viri docti metrum corrigere conati sunt. Facillima mutatione et sensus et metrum ita restitui potest:

ἕν ἐστι πάντων πρῶτον εἰδέναι τόδε.

Redeo ad vs. 1381., quem equidem sine dubitatione affirmare ausim ita antiquitus scriptum fuisse:

ἅ σοί τε κἀμοὶ καλὸν ὁρῶ τελούμενα.

Syllabam ὸν finalem, quae plerumque lineola tantum snprascripta, accentui gravi simili, a librariis indicari solita est, saepissime oblitteratam esse constat. Caeterum sensum quod attinet, notandum est, orationem esse poeticam et in brevius contractam, quae si mutatur in prosaicum dicendi genus, ita se habet: *καλὸν ὁρῶ σοί τε καὶ ἐμοί, ταῦτα ὑφ' ἡμῶν τελεῖσθαι.*

Septem igitur solutionis illius, de qua ultimo loco monui, exempla in hac fabula deprehenduntur. Praeterea vero triplici modo tertius pes solvi solet. Primo ut vox monosyllaba, quae cum sequentibus cohaeret, initium faciat solutae syllabae, sequente verbo, quod pluribus syllabis compositum sit. Quo arctius vox illa cum sequentibus cohaeret, eo minus solutio habet offensionis. Itaque haud raro in opti-

mis tragoediis eo in loco legitur: ὁ σόφος, τὸ δ' ἔπος, πρὸς ἔπος, τὸν ἀγαθόν, τὸν ἀσεβῆ, τὸν ἱκέτην, τὸν ὑμέναιον; rarissime autem, quod in Oedip. Tyr. vs. 1391. scriptum est:

ἰὼ Κιθαιρών, τί μ' ἐδέχου; τί μ' οὐ λαβών.

Itaque adducor, ut eiusdem fabulae vs. 99., ubi vulgo legitur:

ποίῳ καθαρμῷ; τίς ὁ τρόπος τῆς ξυμφορᾶς;

articulum ὁ ab librariis additum putem. Aperte hoc factum eadem fab. vs. 684., quem contra metrum plures codd. ita scriptum exhibent:

ἀμφοῖν ἀπ' αὐτοῖν; — ναίχι. — καὶ τίς ἦν ὁ λόγος.

qui recte ab Erfurdtio correctus videtur. Certe in reliquis Sophoclis tragoediis non offendi exemplum, quod simile sit Oedip. Tyr. vs. 99. In Philocteta haec sunt (vs. 237.):

χρεία; τίς ὁρμή; τίς ἀνέμων ὁ φίλτατος;

(vs. 501.)

ἥκω, σὺ σῶσον, σύ μ' ἐλέησον, εἰσορῶν.

(815.)

τί παραφρονεῖς αὖ; τί τὸν ἄνω λεύσσεις κύκλον.

(vs. 1029.)

καὶ νῦν τί μ' ἄγετε; τί μ' ἀπάγεσθε; τοῦ χάριν;

(vs. 1247.)

καὶ πῶς δίκαιον, ἅγ' ἔλαβες βουλαῖς ἐμαῖς.

(vs. 1348.)

ὦ στυγνὸς αἰών, τί μ' ἔτι δῆτ' ἔχεις ἄνω.

Secundum genus istuc dico, ubi syllaba longa ita solvitur, ut in eius loco duae voces monosyllabae substituantur. Fit hoc quidem, quamquam rarissime, in optimis tragoediis, sed, quod bene notandum, ubique ita, ut utraque vox arcte cohaereant et ad sequentia pertineant. Apponam exempla omnia, quae Sophoclis tragoediae suppeditant: ex Aeschyleis

enim nullum habeo annotatum: sunt autem haec:
(Electr. vs. 1291.)

ἀντλεῖ, τὰ δ' ἐκχεῖ, τὰ δὲ διασπείρει μάτην.

(Oedip. Tyr. vs. 637.)

οὐκ εἶ σύ τ' οἴκους, σύ τε, Κρέων, κατὰ στέγας.

(ibid. vs. 768.)

εἰρημέν' ἦ μοι, δι' ἅ νιν εἰσιδεῖν θέλω.

(Oedip. Colon. vs. 388.)

ποίοισι τούτοις; τί δὲ τεθέσπισται, τέκνον.

(Trachin. vs. 292.)

τῶν μὲν παρόντων, τὰ δὲ πεπυσμένη λόγῳ.

Philoctetes fabula haec praebet exempla (vs. 578.):

τί φησιν, ὦ παῖ; τί με κατὰ σκότον ποτέ.

(vs. 651.)

ἀλλ' ἔκφερ' αὐτό· τί γὰρ ἔτ' ἄλλ' ἐρᾷς λαβεῖν;

(vs. 879.)

σύ μ' αὐτὸς ἆρον, σύ με κατάστησον, τέκνον.

(vs. 918.)

ποῖον μάθημα; τί με νοεῖς δρᾶσαί ποτε.

Nusquam autem eiusmodi solutionem factam vidi neque in Aeschyli, neque Sophoclis tragoedia ulla, quae facta videtur Philoctetae vs. 818.:

καὶ δὴ μεθίημι· τί δὲ δὴ πλέον φρονεῖς;

Fuerunt, qui propterea aliquid vitii hunc versum contraxisse putarent. Vereor, ne temere. Triclinius quam suffecit scripturam:

καὶ δὴ μεθίημί σε· τί δὴ πλέον φρονεῖς;

non multum praestare lectioni vulgatae, ex iis, quae statim addam, facile elucebit. Neque satis recte, si quid video, Buttmannus, qui Triclinianam scripturam recepit, δὲ particulam molestam esse annotat. Mihi quidem vulgatum servandum, eiusque hic esse sensus videtur: *quid vero amplius cogitas, quid amplius vis?* Postremo magnopere sibi caverunt tragici, ne pedis tertii syllabam lon-

gam ita solverent, ut syllabae finales verbi praecedentis eius locum occuparent. Unum nunc apud Sophoclem extat exemplum Oedip. Tyr. vs. 301.:

ἄῤῥητά τ' οὐράνιά τε καὶ χθονοστιβῆ.

neque plura apud Aeschylum, qui simillime Eumenid. vs. 485. scripsit:

ὑμεῖς δὲ μαρτύριά τε καὶ τεκμήρια.

Utroque loco longe mihi errare videtur, qui in syllaba penultima verborum οὐράνια et μαρτύρια ictum ponendum putet. Immo certum puto, syllabas ια hic, ut alibi saepe, pronuntiatione in unam longam fere coaluisse. Sunt eius generis plura vocabula in ιον, ιος et ια desinentia, quorum postremae syllabae me quidem iudice dubitari non potest quin vulgari sermone in unam contractae sint, ut ἀλλότρια, ἐντάφια, πηδάλια, ξένια, πεδία, σπάνια, σφάγια, φόνια et alia.

Caeterum quam in solvendo pede tertio observatam esse regulam modo dixi, eandem tenendum est in omnium pedum solutione valere. Etenim quae tanquam violatae regulae exempla possunt proferri, eorum omnium eadem est ratio atque illorum locorum, quos ex Sophoclis Oedipo Tyranno et Aeschyli Eumenidibus produxi. Quartum pedem quod attinet, duo sunt apud Sophoclem exempla, quorum neutrum numeros asperiores facit, primum Nauplii fragm. V. vs. 10.:

τάξεις τε ταύτας, οὐράνιά τε σήματα.

alterum Oedip. Tyr. vs. 826.:

μητρὸς ζυγῆναι, καὶ πατέρα κατακτανεῖν.

Vocis πατέρα et adiectivi ἀμφότερα syllabas postremas in unam fere contractas esse, multi mihi loci probare videntur. Tertium, quod praebet Philoctetae vs. 4.:

Ἀχιλλέως παῖ Νεοπτόλεμε, τὸν Μηλιᾶ.

magis reliquis displicet. Poterat enim nomen Νεοπτόλεμος aptiore loco collocari, ut factum vs. 241.:

Ἀχιλλέως, Νεοπτόλεμος. οἶσθα δὴ τὸ πᾶν.

Praeterea Philoctetae vs. 4. alio nomine reprehendendus, de quo vide quae dicemus paullo post. Apud Aeschylum plura reperiuntur exempla, quamquam omnia fere a pronuntiationis ratione satis habere excusationis puto. Sunt autem haec: (Sept. adv. Theb. 1022.)

καὶ μήθ' ὁμαρτεῖν τυμβοχόα χειρώματα.

(Pers. vs. 332.)

αἴσχη τε Πέρσαις καὶ λιγέα κωκύματα.

(ibid. 491.)

δίψει τε λιμῷ τ' · ἀμφότερα γὰρ ἦν τάδε.

(Eumenid. 107.)

χοάς τ' ἀοίνους, νηφάλια μειλίγματα.

Quinti pedis sic soluti exempla duo sunt apud Sophoclem, alterum Aiac. vs. 459.:

ἔχθει δὲ Τροία πᾶσα, καὶ πεδία τάδε.

alterum Oed. Tyr. 1496.:

τί γὰρ κακῶν ἄπεστι; τὸν πατέρα πατήρ.

Quae cur nihil habeant offensionis, ex iis, quae de pronuntiatione verborum πεδία et πατέρα monita sunt, satis patet. Item vero intelligitur, idonea ratione Erfurdtium Hermanni auctoritate correxisse quod vulgo legebatur Oed. Tyr. vs. 719.:

ἔῤῥιψεν ἄλλων χερσὶν εἰς ἄβατον ὄρος.

Similiter apud Aeschylum quae reperiuntur huius solutionis exempla Eumen. vs. 480.:

τοιαῦτα μὲν τάδ' ἐστὶν ἀμφότερα μένειν.

et vs. 797.:

ἀλλ' ἐκ Διὸς γὰρ λαμπρὰ μαρτύρια παρῆν.

ut nemo iam pro corruptis habebit, ita quod scriptum extat Supplic. vs. 388.:

νόμῳ πόλεως φάσκοντες ἐγγύτατα γένους.

facile quivis Hermanno assentietur, ita mutandum esse:

νόμῳ πόλεως ἐγγύτατα φάσκοντες γένους.

Qui numerus monet me, ut redeam ad Philoctetam. Legitur ibi vs. 491.:

Τραχινίαν τε δειράδα, καὶ τὸν εὔροον.

metro pessumdato. Cui qui mederi conati sunt reponendo δέραδα, recte a Brunckio et Buttmanno mihi refutati videntur. Neque sensui accommodatum puto, quod Porsonus scribendum suasit: δειράδ' ἢ etc. Equidem Heathium poetae manum restituisse arbitror, qui hanc fecit transpositionem verborum:

Τραχινίαν δειράδα τε καὶ τὸν εὔροον.

Itaque hunc quoque versum iis accenseo, qui minus eleganter compositi sunt. Non enim alia Sophoclis tragoedia simile exemplum praebet. De copula τὲ post secundum verbum posita conferantur Hermannus ad Hec. p. 88. et Reisigius ad Oed. Col. p. 256.

Venio ad aliud solutionis genus, de quo mirum est neminemdum monuisse. *) Pervulgata est Porsoni observatio, veteres tragicos, ubi senarium voce, quae creticum pedem efficiat, terminaverint, et verbum hypermonosyllabum praecesserit, fere ubique trochaeum quartum purum servasse. Eodem redit regula, quam ego nunc tragicos observasse dico. Scilicet rarissime quartus trochaeus ita solutus reperitur, ut quod in secunda sede saepius fit, anapae-

*) Tetigit tamen hoc genus iam Reisigius Commentt. Critt. in Oedip. Col. vs. 1564. p. 385., cuius haec sunt verba: „Nam in Aiace. v. 450.

νῦν δ' ἡ Διὸς γοργῶπις ἀδάμαστος θεά

nescio an parum dignum sit Sophoclis arte verbum pedem Ionicum a minore efficiens ante sextum pedem in trimetro. Euripidi Comicisque consuetum hoc, sed perrarum Sophocli.

stus in eius locum sufficiatur. Vix est ut moneam, non posse huc ea referri exempla, in quibus nomen proprium quartum trochaeum occupat, ut Sophoclis Oed. Tyr. vs. 267.:

τῷ Λαβδακείῳ παιδὶ Πολυδώρου τε καὶ.

constat enim inter omnes, in usurpandis nominibus propriis tragicos nulla paene regula se astringi passos esse: quamquam notandum est, ita ut in Philoct. vs. 4.:

Ἀχιλλέως παῖ, Νεοπτόλεμε, τὸν Μηλιᾶ.

nusquam alibi nomen proprium collocatum reperiri. Quare non possum, quin hunc versum negligenter compositum dicam, praesertim quum facili negotio, ut paullo ante monui, verbo Νεοπτόλεμε aptior locus eligi potuerit. Exceptis autem nominibus propriis aut nunquam aut rarissime in melioris notae tragoediis regula, quam posui, violata deprehenditur. Nunquam violata est in Sophoclis Electra, Oedipo Tyranno, Oedipo Coloneo et Antigona. Semel videtur in Aiace vs. 450., ubi nunc legitur:

νῦν δ' ἡ Διὸς γοργῶπις ἀδάμαστος θεά.

At dubitari non potest, quin scribendum sit ἀδάματος, quae forma librariorum inscitia plerumque in ἀδάμαστος mutata est. Et videtur mihi Elmsleius, cui assentitur Reisigius ad Oed. Col. p. 385., recte adeo contendisse, ubique tragicis ἀδάματος restituendum esse. Omnes certe loci, in quibus verbum istud legitur, ita sunt comparati, ut metrum alteram formam respuat.

In Trachiniis nuper ab Hermanno vs. 740. scriptum est Suidae auctoritate:

τὸ γὰρ
φανθὲν τίς ἂν δύναιτ' ἂν ἀγένητον ποιεῖν;

Libri omnes habent:

φανθὲν τίς ἂν δύναιτ' ἀγέννητον ποιεῖν.

Quaerendum adhuc putaverim, utra scriptura vera sit. Scio quidem, vocem ἀγέννητος, utpote a verbo γεννᾶν factam, id quod non est genitum, denotare solere: quae significatio minus huic loco quam altera verbi ἀγένητος convenire videtur. At qui meminerit, poetas tragicos saepius verba, quae gignendi, procreandi significatum habent, metaphorice usurpare de rebus, quae fiunt vel parantur, non negabit hic quoque fieri potuisse, ut Sophocles poetica ratione verbum ἀγέννητος pro vulgari ἀγένητος usurparet. Certe nusquam praeter hunc locum neque in hac fabula neque in iis, quas dixi, istud solutionis genus admissum est. In Philocteta fabula duo extant exempla, alterum vs. 4., de quo iam dictum, alterum vs. 932.:

ἀπόδος, ἱκνοῦμαί σ', ἀπόδος, ἱκετεύω, τέκνον.

quod postremum quum corrigi nequeat, novum ex eo peto argumentum, negligentius Sophoclem in componendis huius fabulae versibus esse versatum. Possem tertium afferre, si vera esset scriptura, quam dedit Buttmannus vs. 582.:

ὦ σπέρμ' Ἀχιλλέως, μή με διάβαλλε στρατῷ.

Sed codd. omnes et editt. vett. excepta Tricliniana pro διάβαλλε praebent coniunctivum aoristi διαβάλῃς, qui quum sensui etiam unice accommodatus videatur, quovis pignore contendere audeo, non διάβαλλε, sed διαβάλῃς a poeta scriptum esse.

Non abs re esse puto, data opportunitate de Aeschylo dicere et Euripide, ex eorumque tragoediis eos locos proferre, in quibus a regula, quam posui, discessio videtur facta. Initium sumam ab Aeschylo, cuius fabula Agamemno nullum istius solutionis exemplum suppeditat. In Prometheo unum extat vs. 213.:

χρείη, δόλῳ δὲ τοὺς ὑπερέχοντας κρατεῖν.

Sed viderunt iam alii, verbum ὑπερέχοντας ab Aeschylo non potuisse scribi. Quaeritur, quid lateat. Porsoni correctionem, ὑπερσχόντας reponentis, alienam esse ab huius loci sensu, docuit Hermannus in scholis publicis. Mihi restituendum videtur ὑπειρόχους, quod verbum Hesychius interpretatur: ὑπερέχων. Eodem modo scholiastes ad Sophocl. Trachin. vs. 1098. ed. Erfurdt. verbum ὑπέροχον explicat ὑπερέχοντα.

Carent autem vitii suspicione hi loci: (Sept. adv. Theb. vs. 650.)

σὺ δ' αὐτὸς ἤδη γνῶθι, τίνα πέμπειν δοκεῖς.

(ibid. vs. 1022.)

καὶ μηθ' ὁμαρτεῖν τυμβοχόα χειρώματα.

(Pers. 332.)

αἴσχη τε Πέρσαις καὶ λιγέα κωκύματα.

(Eumen. vs. 107.)

χοάς τ' ἀοίνους, νηφάλια μειλίγματα.

Nullum tamen horum locorum equidem comparaverim cum Philoctetae vs. 932. De pronuntiatione pronominis τίνα et verbi νηφάλια supra iam monitum est. Neque falsa opinione mihi duci videtur, qui similiter verborum τυμβοχόα et λιγέα syllabas extremas contractas esse existimet.

Consulto omisi Supplic. vs. 333., qui sic se habet:

λευκοστεφεῖς ἔχουσα νεοδρέπτους κλάδους.

Verbum enim νεοδρέπτους pro trisyllabo habendum est, ut saepe νεανίας, coll. Seidlero de Verss. Dochmm. p. 49. Adde νεωστί, quod bisyllabum est in Eurip. Iphig. Aul. vs. 592., λέως, monosyllabum apud Aeschyl. Choeph. 1041., λεωφόρους, trisyllabum in Rheso fab. vs. 878. et Eurip. Erechth. fragm. I. vs. 7. p. 442., ἀνεῴχθη, trisyllabum in Eurip. Ion. vs. 1563., χρεών, monosyllabum Eurip. fragm. Tem. XV. p. 477., et νέως monosyllabum Eurip. Cycl. vs. 144. Non videtur autem haec contractio admissa esse, nisi

aut vocalis longa vel diphthongus, aut duo consonantes sequerentur. Itaque quod in Eumen. vs. 450. scriptum extat:

σφαγαὶ καθαιμάξωσι νεοθήλου βοτοῦ.

non eam, quam reliqui loci, excusationem habet. At ipsum verbum νεόθηλος, quod alibi nusquam legitur, suspicionem movet, aliud quid ab Aeschylo scriptum fuisse. Quae suspicio augetur, si consideramus diversas codd. et editt. antiquarum lectiones. Editio enim Robort. ὀθήλου, et Aldina νοθήλου exhibent. Ex qua diversitate hanc eruo scripturam, quam ab Aeschylo profectam credo:

σφαγαὶ καθαιμάξωσιν εὐθήλου βοτοῦ.

Verbum εὔθηλος extat apud Eurip. Iphig. Aul. vs. 579. et Bacch. vs. 693.

Progredior ad Euripidem, in cuius tragoediis iis, quae sunt maiore cum cura compositae, fere nunquam regula illa violata deprehenditur. Eae sunt *Medea*, *Hippolytus*, *Heraclidae*, *Supplices*, *Alcestis*, *Andromache*, *Hecuba*, *Troades*. Sunt tamen in his quoque, ut in reliquis tragoediis, quidam loci, in quibus non poeta, sed librarii et recentiores editores contra regulam peccasse censendi sunt.

Unum quod in Medea extat vs. 949.:

δοκεῖς σπανίζειν δῶμα βασίλειον πέπλων.

profecto nemo erit, quin corrigendum esse concedat. Scribendum est: βασιλικὸν etc. Nolo nunc in discrimen, quod intercedat inter utramque formam, inquirere, sed hoc qualecunque sit, iure mihi videor contendere posse, recte hic se habere βασιλικόν. Cfr. Phoen. vs. 1326. βασιλικῶν δόμων. Electr. vs. 304. βασιλικῶν ἐκ δωμάτων. ibid. vs. 951. βασιλικοὺς ἔχων δόμους. Porro dicuntur γάμοι βασιλικοί Eur. Med. vs. 18. et 544. et Troadd. vs. 356., ibidemque λέκτρα vs. 262., denique θάλαμοι Ion. vs. 489. Recte etiam

Matthiaeum Iphig. Aul. vs. 852., ubi vulgo legebatur:

ὡς μόνοις λέγοις ἄν, ἔξω δ' ἐλθὲ βασιλείων δόμων.

βασιλικῶν scripsisse puto. Praeterea restituenda videtur haec forma Orest. vs. 1352.:

ἀλλά, κτυπεῖ γὰρ κλῆθρα βασιλείων δόμων.

Helen. vs. 144.:

ὧν δ' οὕνεκ' ἦλθον τούσδε βασιλείους δόμους.

ibid. vs. 459.:

τίς δ' ἥδε χώρα; τοῦ δὲ βασίλειοι δόμοι.

et vs. 1526.:

ἐπεὶ λιποῦσα τούσδε βασιλείους δόμους.

Vacant omnino istiusmodi exemplis *Hippolytus*, *Heraclidae* et *Alcestis*. In quibusdam Supplicum editionibus duo extant, sed neutrum Euripidi deberi puto. Rectissime enim Hermannus, quocum sentit Porsonus, vs. 1070. ed. Matth.:

ὦ θύγατερ, οὐ μὴ μῦθον ἐπὶ πολλοὺς ἐρεῖς.

ἐς πολλοὺς etc. scribendum suasit. Ut autem hoc loco miror Matthiaeum vulgatam scripturam servasse, ita eundem laudandum duco, quod vs. 165. codd. plerorumque scripturam secutus edidit:

πολιὸς ἀνὴρ τύραννος εὐδαίμων πάρος.

cuius scripturae patrocinium ante iam Hermannus susceperat merito reiecta Porsoni correctione, qui Supplem. Praefat. ad Eurip. Hec. p. XXXI. ex Aldina lectione: *πολιὸς ἀνὴρ εὐδαιμονῶν ἴσως πάρος* hanc eruit:

πολιὸς ἀνήρ, τύραννος ἰσοδαίμων πάρος.

Quam ne commemorassem quidem, nisi viderem Elmsleium in Censura editionis Hermanni, quae inserta est Classical Iournal. N. XVI., p. 418. sic ei patrocinari: „After Mr. Porson's observations on v. 166. of this tragedy, we certainly expected that the reading of every future edition would be, *πολιὸς ἀνήρ, τύραννος ἰσοδαίμων πάρος.* If the

reader will attentively examine Mr. Porson's arguments iu favor of ἰσοδαίμων, we think that he will agree with us in considering Mr. Hermann's preference of εὐδαίμων, the reading of the manuscripts, as an instance of no small perversity of judgment." Quod saepe fieri videmus, ut cum quis iniquius in alios invehatur, ipse maxime labatur, Elmsleio, viro optimo, accidisse puto, quum scriberet quae modo apposui. Aldinam scripturam ab interpolatore profectam esse, verissime Hermannum monuisse credo, qui praefatione edit. Suppl. p. IX. sq. denuo illius loci mentionem iniecit: quamquam de ratione, qua orta sit scriptura illa, secus statuo. Videtur enim mihi grammaticus quidam voci εὐδαίμων ascripsisse: ἴσως εὐδαιμονῶν (fortassis εὐδαιμονῶν legendum indicans): quae verba inverso ordine deinde sunt in textum recepta omisso nomine τύραννος, ut metrum sibi constaret. Verbum ἴσως hac in re sollemne est: cf. Elmsl. Annot. in Eur. Iphig. Taur. vs. 50. (Mus. Crit. N. VI. p. 274. sq.).

Troades fabula unum praebet exemplum, quod legitur vs. 917.:

ἔκρινε τρισσὸν ζεῦγος ὅδε τρισσῶν θεῶν.

At iniuriam Euripidi facere censeo, qui verbum τρισσῶν pro genuino habeat. Scriptum fuit sine dubio antiquitus: ὅδε τριῶν θεῶν.

Indubiae fidei est, quod legitur in Andromache fabula vs. 1082.:

θεῷ κατευξόμεσθα; τίνος ἥκεις χάριν;

Eiusdem generis exemplum apud Aeschylum deprehendimus. Solum autem est, quod haec fabula praebet.

In Hecuba duo reperi, quae certa puto, unum vs. 273.:

χάριν τ᾽ ἀπαιτῶ τὴν τόθ᾽, ἱκετεύω τέ σε.

alterum vs. 1216.:

ἀχθεινὰ μέν μοι τἀλλότρια κρίνειν κακά.

quorum secundum vix regulae adversari dici potest. Magnam autem offensionem habet quod legitur vs. 432.:

ὦ φῶς· προσειπεῖν γὰρ σὸν ὄνομ᾽ ἔξεστί μοι.

Quo magis cum Iacobsio, Wakefieldio et Hermanno facio, qui pro ὄνομα aptissime ὄμμα restituendum esse viderunt.

In Ione fabula deprehendi quattuor, quorum unum certa emendatione tollendum videtur. Statim ab initio scriptum est vss. 21 — 24.:

κείνῳ γὰρ ἡ Διὸς κόρη
φρουρὼ παραζεύξασα φ υ λ α κ ὰ ς σώματος
δισσὼ δράκοντε, παρθένοις Ἀγραυλίσι
δίδωσι σώζειν.

Non uno nomine verbum φυλακάς metro obest. Quare non dubito, quin scripserit Euripides:

φρουρὼ παραζεύξασα φύλακε σώματος.

Reliqua quae dico, haec sunt (vs. 81.):

Ἴων᾽ ἐγώ νιν πρῶτος ὀνομάζω θεῶν.

(vs. 799.)

ὄνομα δὲ ποῖον αὐτὸν ὀνομάζει πατήρ.

(vs. 824.)

κἆθ᾽ ὁ θεὸς οὐκ ἐψεύσαθ᾽, ὅδε δ᾽ ἐψεύσατο.

In Hercule furente quattuor extant, vs. 483., 1112., 1195., et 1342. In Electra tria, vs. 12., 300., et 916. Novem in Iphig. Taur. vs. 107., 250., 328., 728., 733., 747., 801., 950., et 1418. Duo enim, quae praeterea deprehenduntur in vulgatis editionibus, corrigenda censeo. Legitur vulgo vs. 65.:

οὔπω τινὸς πάρεισιν ἐς ἔμ᾽ εἴσω δόμων.

Sed iam Elmsleius Mus. Crit. fasc. VI. p. 275. recte

vidit, scribendum esse: εἴς μ' ἔσω δόμων. Similis correctio facienda Iphig. Aul. vs. 512.:

ἐκεῖνο δ' οὐ δέδοικας, ὅτι μ' εἰσέρχεται.

Corrige: ἐσέρχεται. Alterum quod dico exemplum praebet vs. 1352.:

λάβεσθε κώπαις τε ῥόθια λευκαίνετε.

Sic enim hunc versum Matthiaeus e Seidleri coniectura refinxit. Aldus, quocum, ni fallor, codices consentiunt omnes, edidit:

λάβεσθε κώπαις, ῥόθιά τε λευκαίνετε.

Quae lectio quamquam metrum turbat, vero tamen propior mihi videtur, quam illa, quae est a Seidlero excogitata. Nunquam enim copula τὲ in versu trimetro sic collocata reperitur, ut ictus in eam incidat, nihil ut dicam de reliqua numerorum inconcinnitate, qua versus laborat. Itaque alio modo metro succurrendum puto. Fortassis copula τὲ corrupta, qua, quum vehemens sit oratio, facile caremus. Non inepte quis δὴ scribendum coniiciat.

Quae sunt reliquae fabulae *Phoenissae*, *Helena*, *Bacchae* et *Iphigenia Aulidensis*, earum unaquaeque circiter viginti exemplis dedecorata est, quae ascribere nihil attinet. Unum tamen in Helena corrigendum, quod praebet vs. 9.:

Θεοκλύμενον μὲν ἄρσεν', ὅτι δὴ θεοὺς σέβων.

Ita Matthiaeus scripsit. Legitur vulgo:

τίκτει δὲ τέκνα δισσὰ τοῖσδε δώμασιν
Θεοκλύμενον ἄρσεν', ὅτι δὴ θεοὺς σέβων
βίον διήνεγκ', εὐγενῆ τε παρθένον.

Videtur locus ita corrigendus esse:

Θεοκλύμενον ἄρσενά τ', ὅτι δὴ θεοὺς σέβων.

Nominis Θεοκλύμενος duae priores syllabae, ut saepe Neoptolemi, in unam contrahendae sunt. In Iphig. Aul. vs. 1388. Matthiaeus edidit:

ἐξελογίσω τὰ χρηστὰ τά τ' ἀναγκαῖά γε.

quod non probo. Libri quum exhibeant, *τἀναγκαῖά γε*, scribendum iudico: *τἀναγκαῖά τε.*

Rhesi fabulae auctor quemadmodum omnino in componendis numeris magnam posuit curam, ita cavit etiam, ne istud solutionis genus unquam admitteret. Maluit igitur vs. 510.:

πυλῶν ἐπ' ἐξόδοισιν ἀμπείρας ῥάχιν.

syncope uti, quam versum asperiorem reddere scribendo *ἀναπείρας.*

Revertor ad Philoctetam. Dictum est de plerisque versibus, quibus ostendi poterat, Sophoclem paullo negligentius in scribenda hac fabula versatum esse. Superest, ut apponam eos versus, in quorum unoquoque plures longarum syllabarum solutiones factae sunt. In quem numerum quidam etiam eorum referendi sunt, quos alio nomine supra iam reprehendimus. Animadvertendum est autem, omnes fere in posteriore tragoediae parte legi. Dico hos:

(vs. 815.)

τί παραφρονεῖς αὖ; τί τὸν ἄνω λεύσσεις κύκλον.

(vs. 923.)

ἀπόλωλα τλήμων, προδέδομαι. τί μ' ὦ ξένε.

(vs. 932.)

ἀπόδος, ἱκνοῦμαι σ', ἀπόδος, ἱκετεύω, τέκνον.

(vs. 1018.)

ἄφιλον, ἔρημον, ἄπολιν, ἐν ζῶσιν νεκρόν.

(vs. 1029.)

καὶ νῦν τί μ' ἄγετε; τί μ' ἀπάγεσθε; τοῦ χάριν;

(vs. 1232.)

παρ' οὗπερ ἔλαβον τάδε τὰ τόξ', αὖθις πάλιν.

(vs. 1327.)

Χρύσης πελασθεὶς φύλακος, ὃς τὸν ἀκαλυφῆ.

(vs. 1420.)

ἀθάνατον ἀρετὴν ἔσχον, ὡς πάρεσθ' ὁρᾶν.

Vix in alia Sophoclis tragoedia trimetros deprehendas, qui horum sint similes. Cum versu 1327. comparari quidem possit Oedip. Tyr. vs. 967.:

κτανεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν; ὁ δὲ θανὼν
κεύθει κάτω δὴ γῆς·

sed habet hic meo iudicio multo minus offensionis quam Philoctetae versus, quum orationis quaedam pausa sit post verba: πατέρα τὸν ἐμόν.

Malo etiam istorum numero, qui negligentius compositi sint, accensere vs. 794.:

Ἀγάμεμνον, ὦ Μενέλαε, πῶς ἂν ἀντ' ἐμοῦ.

quam pro corrupto habere.

Possem fortassis alia quaedam addere ex carminibus melicis, maxime glyconeis, si de scripturae veritate ubique satis constaret, ipsorumque versuum quae forma probata, quaeve improbata fuerit ab optimis poetis, extra controversiam positum esset. Ita, ut unum certe commemorem, censet Hermannus doctr. metr. p. 538 sq., negligentiae notam prae se ferre vs. 1089.,

τί ποτ' αὖ μοι τὸ κατ' ἦμαρ.

quod basis anapaesto constet. At quis est, qui contendere audeat, non corruptum esse hunc locum? Poterat enim poeta, si volebat vitare anapaestum, facillimo negotio scribere:

τί αὖ μοι τὸ κατ' ἦμαρ.

quo facto ad amussim congruit cum hoc versu antistrophicus:

κραταιαῖς μετὰ χερσίν.

neque enim hiatus quicquam habet offensionis. Cfr. huius fab. vss. 100. 733. 753. 917. Adde Aeschyl. Sept. Adv. Theb. 208. τί οὖν. 704. τί οὖν. Pers. 787. τί οὖν. Eumen. vs. 902. τί οὖν μ' ἄνωγας, plane ut Philoct. vs. 100. Suppl. 313. τί οὖν. Sophocl. Aiac. vs. 873. τί οὖν δή. Eur. Phoen. 878. ἄγω τί οὐ δρῶν.

coll. Brunckio ad Philoct. vs. 783. Quos locos quamquam olim Porsonus, Erfurdtius, Blomfieldius ad Sept. adv. Theb. vs. 193. aliique pro depravatis habuerunt, nunc tamen nemo habebit, ex quo viri in republica litteraria primarii contra disputarunt, ut Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 50., Wolfius Praefat. ad Hom. Iliad. p. 53. ed. noviss., et Buttmannus Gr. Gr. T. I. p. 113.

Poterat etiam scribi:

τί ποτέ μοι τὸ κατ᾽ ἦμαρ.

Sed quodcunque scripserit poeta, dubium certe admodum argumentum puto, quod ex hoc et id genus aliis locis petatur.

His autem disputatis placet iam de singulis locis, quos ab editoribus nondum recte tractatos arbitror, meum qualecunque proponere iudicium.

Vs. 29.

Τόδ᾽ ἐξύπερθε· καὶ στίβου γ᾽ οὐδεὶς τύπος.

Pro *τύπος* MS. Morelli praebet *κτύπος*, quam lectionem Erfurdtius quamquam non absurdam, minime tamen necessariam esse monet. Neoptolemum enim, nulla vestigii apparente nota, una cum Ulysse dubitare incipere, an hoc non sit Philoctetae antrum, donec caeteris, quas reperiat, notis fidem habeat. Buttmannus huic sententiae nihil opposuit nisi hoc, *στίβου τύπος* non de recentibus vestigiis, sed de semita esse intelligendum, quali deficiente per rupes in altum enitendum fuisset, alteram vero scripturam *κτύπος* perquam esse incommodam. At vero primum patet, verba *καὶ στίβου γ᾽ οὐδεὶς τύπος*, quocunque sensu dicta putes, non posse esse dubitantis, an non sit Philoctetae antrum. Modo enim Neoptolemus hoc se reperisse dixerat, et ab Ulysse, qui, quoniam locum obtinebat remotiorem, nondum conspicere poterat, interrogatus, ubinam situm esset, responderat: *hic*-

ce superne. Quibus verbis quae per copulam *καί* adduntur, certe non possunt sententiam modo enuntiatam refutare. Hoc enim si voluisset Neoptolemus, necesse erat, uteretur particula aliqua adversativa. *) De

---

*) Perperam Wakefieldius et Erfurdtius vs. 385. huius fabulae, copulae *καί* vim quandam restrictivam attribuerunt. Leguntur ibi haec:

τοιαῦτ᾽ ἀκούσας κἀξονειδισθεὶς κακὰ
πλέω πρὸς οἶκον, τῶν ἐμῶν τητώμενος
πρὸς τοῦ κακίστου κἀκ κακῶν Ὀδυσσέως.
κοὐκ αἰτιῶμαι κεῖνον ὡς τοὺς ἐν τέλει.

Non est difficile intellectu, poetam verbis *καὶ οὐκ αἰτιῶμαι κεῖνον* (*τοσοῦτον*) *ὡς τοὺς ἐν τέλει* hoc voluisse dicere: *atque magis quam illum culpo eos, penes quos est imperium.* — Caeterum noli putare, *γὲ* particulam, quae apposita est verbo *στίβου*, mutare posse propriam copulae *καί* vim et significationem: quae sententia quamquam probata est hominibus quibusdam doctissimis, prorsus tamen reiicienda videtur. Ubique enim vim huius particulae pertinere ad verbum, quod subsequitur, non autem ad *καί* copulam, quae alio verbo a particula separatur, vel ex eo apparere arbitror, quod ea nunquam huic copulae non interposito alio verbo adiungitur. Itaque operam perdere videntur, qui sedulo locos congerunt, in quibus *καί — γὲ* cum singulari quodam significatu positae sint. Male Schneiderus lexico Graeco T. I. p. 682., ubi de coniunctione harum vocum loquitur, Hom. Od. I, 46.:

καὶ λίην κεῖνός γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ.

interpretatur: *ia nur zu sehr verdient er den Tod, den er starb.* Particula, ut par est, distinguit pronomen *κεῖνος*, quod opponitur Ulyssi, copula *καί* vero haec annectuntur antecedentibus:

ὥς ἔφαθ᾽ Ἑρμείας· ἀλλ᾽ οὐ φρένας Αἰγίσθοιο
πεῖθ᾽ ἀγαθὰ φρονέων· νῦν δ᾽ ἀθρόα πάντ᾽ ἀπέτισε.

Magis etiam a vero aberravit idem vir doctus l. l., quod *καί γε* sententiam modo prolatam restringere, idque Euripidis Orest. vs. 487. confirmari putavit. Ibi quum Menelaus dixisset:

ἑλληνικόν τοι τὸν ὁμόθεν τιμᾶν ἀεί.

addit Tyndarus:

sensu autem verborum si quaerimus, quo tandem modo dicere potuit, nullam comparere vestigii notam? Si locus ante antrum saxosus erat, ut fuisse videtur, *πῶς ἂν γένοιτ' ἂν ἐν κραταίλεῳ πέδῳ γαίας ποδῶν ἔκμακτρον*, ut Euripidis verbis utar; sin arenosus, quomodo nullo pedis vestigio potuit insignitus esse, postquam novem annos Philoctetes antrum habitasset? Denique qua ratione, sive hanc, sive Buttmanni sequaris explicationem, de semita, cuius nullum dicatur adesse vestigium, cogitantis, bene cohaerere dicas cum eo, quod respondet Ulysses:

ὅρα, καθ' ὕπνον μὴ κατακλιθεὶς κυρῇ.

Quo versu quum moneat ministrum, velit videre, ne Philoctetes prostratus dormiat, oportet aliquid dixisse Neoptolemum, propter quod ita erat admonendus. Iam vero quum e verbis *καὶ στίβον γ' οὐδεὶς τύπος*, quomodocunque ea explices, nihil plane eiusmodi elici possit, mihi quidem nullus dubitandi locus relinqui videtur, quin scribendum sit, quod praebet MS. Morelli:

καὶ στίβου γ' οὐδεὶς κτύπος.

hoc sensu: *et incedentis quidem nullus est strepitus.* Vult autem Neoptolemus hoc dicto efficere, propius iam ut accedat Ulysses, qui veritus adhuc, ne inesset antro Philoctetes, procul aberat, ideoque illud ne satis quidem cognoscere poterat. Cautus tamen Ulysses nondum confidit huic argumento, sed, etiamsi non moveat sese intus Philoctetes, tamen

---

καὶ τῶν νόμων γε μὴ πρότερον εἶναι θέλειν.

Quae postrema verba non possunt ita accipi, ut voluit Schneiderus: *ja aber auch sich nicht über die Gesetze zu erheben.* Continetur iis potius novum quid, quod Tyndarus Menelai sententiae addendum iudicat. Distincte autem enuntiavit verba *τῶν νόμων*, quia primariam vim habent.

eum inesse posse dormientem intelligens, iubet Neoptolemum, ipsum antrum introspicere.

Restat, ut paucis moneam de notione vocis στίβος, qua *incessus* denotatur. Quam etsi non commemorant lexicographi, satis tamen vel sola tuetur analogia. Quemadmodum enim verbum τρίβος, a τρίβειν factum, tum id, quod rasum est vel tritum significat, tum actionem radendi, ita vero est simillimum, etiam στίβος non tantum id, quod pedibus est calcatum, viam tritam, vestigium, sed etiam ingressum, incessum denotasse. Quo quidem significatu accipiendum esse hoc verbum vs. 206. huius fabulae, infra docebimus.

Vss. 45—47.

Τὸν οὖν παρόντα πέμψον εἰς κατασκοπήν,
μὴ καὶ λάθῃ με προσπεσών· ὡς μᾶλλον ἂν
ἕλοιτό μ' ἢ τοὺς πάντας Ἀργείους μολεῖν.

Non erat, cur Buttmannus cum aliis ex Triclinii recensione reciperet scripturam λαβεῖν, pro qua codd. et editt. antiquae μολεῖν exhibent. Notum est omnibus, verbum μολεῖν et similia nudo accusativo posito saepe *petendi aliquem, aggrediendi* significationem habere: quamquam hic quidem e praegresso προσπεσών etiam praepositionem cogitando repetere possis: eaque nostro loco melius convenit *capiendi* notione, quandoquidem Ulysses impetum potius hostilem Philoctetae improviso accedentis metuebat, quam ne caperetur ab eo, quem utpote claudum facile poterat effugere. Impetum autem sic eum facturum putabat, ut tela continuo emitteret, quae non poterant a meta aberrare: quod significat vs. 75 sq.:

ὥστ' εἴ με τόξων ἐγκρατὴς αἰσθήσεται,
ὄλωλα, καὶ σὲ προσδιαφθερῶ ξυνών.

Praeterea ad hunc locum notavit Buttmannus: „Sed in eo librorum omnium auctoritatem reveritus sum, ut non rescriberem ἔλοιτ' ἔμ' ἢ etc." At non videtur huius pronominis locus hic esse. Efficeretur enim eo, ut gravis potius nominum Ulyssis et Argivorum existeret oppositio, quam id ut distingueretur, quod vim habet primariam, Philoctetam statim petiturum esse Ulyssem. Orationem in brevius contractam si explicas, uti par est, ita: *illico enim aggrederetur me idque lubentius quam omnes Argivos*, intelligitur, alienum esse pronomen ὀρθοτονούμενον.

Fit autem hoc saepius, ut in comparatione, quae simili modo instituitur, alterum membrum, quod comparatur, forma enclitica proferatur. Ita hac ipsa fabula vs. 1051.:

χὤπου δικαίων κἀγαθῶν ἀνδρῶν κρίσις,
οὐκ ἂν λάβοις μου μᾶλλον οὐδέν' εὐσεβῆ.

Non igitur idonea caussa mutata est ab editoribus vulgata scriptura vs. 347.:

ὡς οὐ θέμις γίγνοιτ', ἐπεὶ κατέφθιτο
πατὴρ ἐμός, τὰ πέργαμ' ἄλλον ἤ μ' ἑλεῖν.

Item male Buttmannus Brunckium sequutus vs. 524. scripsit:

ἀλλ' αἰσχρὰ μέντοι, σοῦ γ' ἔμ' ἐνδεέστερον
ξένῳ φανῆναι πρὸς τὸ καίριον πονεῖν.

Recte libri σοῦ γέ μ' etc. Neque aptum est, quod Elmsleius Sophoclis Oed. Tyr. vs. 1478. posuit:

ἀλλ' εὐτυχοίης, καὶ σὲ τῆσδε τῆς ὁδοῦ
δαίμων ἄμεινον ἢ 'μὲ φρουρήσας τύχοι.

libris καί σε exhibentibus.

Vs. 49.

Σὺ δ' εἴ τι χρῄζεις, φράζε δευτέρῳ λόγῳ.

Verbis δευτέρῳ λόγῳ indicat Neoptolemus alterum

colloquium, quod reperto antro secum habiturum esse Ulyssem meminerat. Conferantur Ulyssis dicta vs. 22.—25. Monui hoc, quia Gedikius et Buttmannus mihi videntur a sensu huius loci paullulum aberrasse.

Vss. 54—55.

Τὴν Φιλοκτήτου σε δεῖ
Ψυχὴν ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψῃς λέγων.

Neque vulgata huius loci scriptura, quae satis defenditur Homeri Iliad. XI. 643.:

μύθοισιν τέρποντο πρὸς ἀλλήλους ἐνέποντες.

aliisque similibus, offendi debebat Buttmannus, neque probare, quod horum poetarum usui adversari videtur, *τὴν Φιλοκτήτου σε δεῖν Ψυχὴν ὅπως λόγοισιν ἐκκλέψεις, λέγω.* Non dicunt enim, quantum memini, unquam *λέγω τινὰ δεῖν ὅπως* etc., sed solum usurpant verbum *λέγειν* vel simile, ut significationem iubendi habeat, adiuncto infinitivo verbi, quo praedicatum continetur, ut vs. 101.

Vs. 66.

Τούτων γὰρ οὐδέν μ' ἀλγυνεῖς.

Longa ad hunc locum extat Buttmanni nota, qua comprobare vult, non posse *τούτων*, quippe quod pro *dativo rei inservientis* accipiendum sit, aliis locis defendi, sed mutandum esse in *τούτῳ.* Non attendisse videtur vir doctissimus, aliam patere explicandi viam eamque procul dubio veram, qua *τούτων* referatur ad *οὐδέν*, ita ut verbum *ἀλγύνειν* duplicem accusativum adiunctum habeat. Quod structurae genus haud raro adhibitum est verbis eiusdem significationis, ut *ἀνιᾶν*, *ἀτιμᾶν*, *λυπεῖν*, *ὑβρίζειν*. Ita Sophocles Antigonae vs. 550.:

τί ταῦτ' ἀνιᾶς μ' οὐδὲν ὠφελουμένη;

Ibidem vs. 544.:

μήτοι, κασιγνήτη, μ' ἀτιμάσῃς τὸ μὴ οὐ
θανεῖν τε σὺν σοί, τὸν θανόντα θ' ἁγνίσαι.

Idem Oedip. Tyr. vs. 340.:

τίς γὰρ τοιαῦτ' ἂν οὐκ ἂν ὀργίζοιτ' ἔπη
κλύων, ἃ νῦν σὺ τήνδ' ἀτιμάζεις πόλιν;

Porro *λυπεῖν* ita usurpavit Plato Apologia Socratis p. 140. ed. Bekk.: *τοὺς υἱεῖς, ἐπειδὰν ἡβήσωσι, τιμωρήσασθε, ὦ ἄνδρες, ταὐτὰ ταῦτα λυποῦντες, ἅπερ ἐγὼ ὑμᾶς ἐλύπουν.* Denique *ὑβρίζειν* Sophocles Electr. vs. 613.:

ἥτις τοιαῦτα τὴν τεκοῦσαν ὕβρισεν.

et Euripides Electrae vs. 264.:

τίνος δέ σ' οὕνεχ' ὕβρισ' Αἴγισθος τάδε;

Quam structuram huius verbi notavit iam Scholiastes ad Sophoclis Oed. Tyr. vs. 2.

Vss. 137—140.

Τέχνα γὰρ
τέχνας ἑτέρας προὔχει,
καὶ γνώμα, παρ' ὅτῳ τὸ θεῖον,
Διὸς σκᾶπτον ἀνάσσεται.

Non uno modo verba *παρ' ὅτῳ — ἀνάσσεται* ab editoribus tum explicita sunt tum tentata. Recentissimus editor Gedikii rationem, qui *ἀνάσσεσθαι* active dictum opinatus est, amplectendam statuit, quamquam etiam hanc, ubi melior prolata fuerit, se reiecturum significat. Mihi quidem non dubium videtur, quin hic locus ad illud loquendi genus pertineat, quo frequenter uti solent poetae tragici. Pro eo enim, quod prosae orationis scriptor dicturus fuisset, *παρ' ὅτῳ — ἔστιν*, maluit poeta significantiore verbo *ἀνάσσεται* orationem finire, deflectens a propria et vulgari dicendi ratione. Sic idem Electrae vs. 140 sq.:

ἀλλ' ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον
ἄλγος ἀεὶ στενάχουσα διόλλυσαι.

ubi conferatur Hermanni observatio. In universum amant hi poetae pro simplicioribus verbis, qualia sunt εἶναι, ἔχειν, ποιεῖν et alia, saepe substituere ea, quae praeterquam quod absolvendae orationi inserviunt, novam etiam ei vim addunt. Ita fabula nostra, vs. 153. dictum: ποίας αὐλὰς ἔνεδρος ναίει. Trachiniis, vs. 679. μεῖζον' ἐκτενῶ λόγον. Euripidis Hecub. vs. 1153. μὴ μακροὺς τείνω λόγους. Sophoclis Aiac. vs. 69. ἀποστρόφους αὐγὰς ἀπείρξω. Euripidis Bacch. vs. 284. οὐκ ἐλευθέραν θύρσου μεθήσεις χεῖρα. Sophoclis Antig. vs. 85. κρυφῇ κεῦθε. Ibidem vs. 1254. κρυφῇ καλύπτει. Euripidis Troad. vs. 1283. ἁ δὲ μεγαλόπολις ἄπολις ὄλωλεν, pro quo simplicius dixit Aeschylus Eumenidum vs. 457. ξὺν ᾧ σὺ Τροίαν ἄπολιν Ἰλίου πόλιν ἔθηκας. Sophoclis Aiac. vs. 1019. ἀπωστὸς γῆς ἀποῤῥιφθήσομαι. Quibus exemplis patet, quam temere Porsonus Adversariis p. 315. in Euripidis Helena, vs. 530.:

φησὶ δ' ἐν φάει
πόσιν τὸν ἀμὸν ζῶντα φέγγος εἰςορᾶν.

ὄντα pro ζῶντα corrigendum suaserit. Persimiliter dixit Sophocles Oedipo Tyr. vs. 65 ὕπνῳ εὕδοντα. Nam ut in Helenae loco ζῶντα, ita hic εὕδοντα poetice pro ὄντα positum est. Non recte autem videtur mihi Schaeferus in annotatione ad Sophoclis Oed. Colon. vs. 307., quem sequutus est Erfurdtius Addendis ad Oed. Tyr. ed. min. p. 198., ad defendendam et illustrandam dictionem ὕπνῳ εὕδοντα usus esse Oedip. Col. vs. 1625. et Philoct. vs. 225.

In priore enim loco:

ὥστε πάντας ὀρθίας
στῆσαι φόβῳ δείσαντας ἐξαίφνης τρίχας.

satis certum puto, verba ita esse explicanda et iungenda: ὥστε πάντας δεῖσαι καὶ φόβῳ τρίχας ὀρθία

στῆσαι. Cui simile est quod infra eadem fabula cecinit poeta, vs. 1464.:

ἐς δ' ἄκραν
δείμ' ὑπῆλθε κρατὸς φόβαν.

Neque in Philoctetae versu:

καὶ μή μ' ὄκνῳ
δείσαντες ἐκπλαγῆτ' ἀπηγριωμένον.

equidem dubito, quin ὄκνῳ ad ἐκπλαγῆτε potius pertineat, δείσαντες vero additum sit, ut adesset a quo accusativus pronominis regeretur.

Vss. 191—200.

Οὐδὲν τούτων θαυμαστὸν ἐμοί.
θεῖα γάρ, εἴπερ κἀγώ τι φρονῶ,
καὶ τὰ παθήματα κεῖνα πρὸς αὐτὸν
τῆς ὠμόφρονος Χρύσης ἐπέβη.
καὶ νῦν ἃ πονεῖ δίχα κηδεμόνων,
οὐκ ἔστιν ὅπως οὐ θεῶν μελέτῃ·
τοῦ μὴ πρότερον τόνδ' ἐπὶ Τροίᾳ
τεῖναι τὰ θεῶν ἀμάχητα βέλη,
πρὶν ὅδ' ἐξήκοι χρόνος, ᾧ λέγεται
χρῆναί σφ' ὑπὸ τῶνδε δαμῆναι.

Ascripsi hunc locum quemadmodum exhibuit Buttmannus, qui primum in eo non recte egisse videtur, quod cum reliquis editoribus post ἐπέβη maiorem posuit interpunctionem, cuius loco comma potius substituendum erat. Cohaerent enim arctissime καὶ τὰ παθήματα κεῖνα, et καὶ νῦν ἃ πονεῖ. Prior enuntiatio spectat ad vulnus, quod serpentis morsu accepit Philoctetes, altera eo, quod novem annos Lemni desertus ab omnibus vixit. Omni autem interpunctione abstinendum erat post μελέτῃ. Articulus enim, qui sequitur, τοῦ, quem Erfurdtius ad hunc locum omisso ἕνεκεν explicuit, aperte a voce μελέτῃ pendet. Regitur autem ubique articulus in hac lo-

quendi ratione ab antecedente verbo, ideoque commate ab eo recte seiungi non potest. Neque etiam seiungi solet in huiusmodi formulis, qualis est: ἐξέφυγε τοῦ μὴ καταπετρωθῆναι, τεύξεται τὸ μὴ θανεῖν, quarum tamen eadem est atque nostri loci ratio.

Vs. 196. maluit Buttmannus Turnebi mutationem recipere, quam levissima Porsoni emendatione admissa vulgatam servare scripturam:

οὐκ ἔσθ' ὡς οὐ θεῶν του μελέτῃ.

Neque hoc, si quid video, recte notatum, sequentia deorum omnium potius quam unius cuiusdam consilium respicere. Qui enim dii Graecis favebant, eos non est vero simile tale impedimentum consulto intulisse, quominus ante decimum annum Troiam expugnarent.

Maxime autem a vero declinasse mihi videtur vir doctissimus in iis, quae scripsit ad vss. 193 — 194. „Si verba, inquit, ἐπέβη πρὸς αὐτὸν (ingruit in illum) cum nomine Χρύσης iuncta essent per ὑπό, legitimam neque inconsuetam illam haberemus structuram, de qua vide ad vs. 1118. Iam cum etiam sine tali praepositione (ut vidimus supra ad vs. 3.) solus genitivus (quem genitivum causae dixeris) poetis ita usurpetur, simplicissimum sane videtur, genitivum τῆς Χρύσης hic ita explicare. Brunckius: „haec mala ex immissis Chrysae ira eum invasere.“ Sed perdurum mihi quidem istud videtur, quoniam verbum ἐπιβῆναι non ut μαθεῖν et similia sua natura ad causam vel auctorem aliquem respicit. Quippe σοῦ τοῦτο ἔμαθον omnes intelligunt; sed σοῦ ἐπέβην πρὸς αὐτόν, nemo facile ita, ut σοῦ sit *a te impulsus*. Quin haec etiam structura ἐπέβη πρὸς αὐτόν admodum inficeta mihi videtur, cum alias in hoc *invadendi* sensu apud prosae scriptores dativum hoc verbum asciscat, apud nostrum poetam vero accasativum, ut Aiac. 137. σὲ δ' ὅταν πληγὴ

Διός, ἢ ζαμενὴς λόγος ἐκ Δαναῶν κακόθρους ἐπιβῇ: vid. etiam Electr. 492. Quid igitur si hic quoque accusativum ad verbum, genitivum autem ad praepositionem referamus? audaci illud quidem traiectione, sed quae poetam, opinor, non dedecet, neque analogia destituta est, quam praebent notissima illa *πρός σε πατρὸς ἱκνοῦμαι* (infra 468.) et, *ἐν γάρ σε τῇ νυκτὶ ταύτῃ* Herodot. 6, 69."

Quam primum insolentem dicit fore rationem loquendi, si genitivus *Χρύσης* a verbo *ἐπιβῆναι* pendere statuatur, de ea equidem cogitari plane non posse arbitror. In structura autem verborum *πρὸς αὐτὸν — ἐπέβη* non video quidquam, quo iure offendamur. Nam quum dicatur *ἐπιβῆναί τινα* sensu invadendi et *προσβῆναι*, quod extat apud Sophoclem Oedip. vs. 1300.:

τίς σ' ὦ τλῆμον,
προσέβη μανία;

necesse est, non minus bene se habere, *ἐπιβῆναι πρός τινα*, quandoquidem praepositio saepius pleonastice ita repeti solet. Tria exempla haec ipsa fabula suppeditat, quorum primum legitur vs. vs. 716 sq.:

λεύσσων δ' εἴ που γνοίη στατὸν εἰς ὕδωρ
αἰεὶ προσενώμα.

Copulanda sunt, *εἰς στατὸν ὕδωρ προσενώμα*. Non apte enim editores praepositionem *εἰς* retulerunt ad *λεύσσων*, quod propterea fieri non posse puto, quia verbo *λεύσσειν εἰς* non convenit significatio *circumspiciendi*, quae hoc loco requiritur. Simili modo dicit Philoctetes infra vs. 953.:

ὦ σχῆμα πέτρας δίπυλον, αὖθις αὖ πάλιν
εἴσειμι πρὸς σὲ ψιλός, οὐκ ἔχων τροφήν.

Adde vs. 1056.: *ἐπεὶ πάρεστι μὲν Τεῦκρος παρ' ἡμῖν.* Nostri Aiac. vs. 60. *εἰσέβαλλον εἰς ἕρκη κακά.* Ubi quam scripturam in MSS. quibusdam extare obser-

vavit Scholiastes„ εἰς (sic, non ἐς legitur in Scholiis ed. Iunt. sec.) ἐριννὺν κακήν, concedo quidem Hermanno, nihil esse nisi vitiose scriptam lectionem, sed non puto, inde eruendum esse εἰς ἔριν κακήν. Probabile est enim, talem potius significari scripturam, quae vel explicita sit verbis ἔρκη κακά, vel ipsa fuerit interpretamentum quoddam. Quapropter verosimilius mihi videtur, latere verbo ἐριννὺν vocem ἄρκυν, quae facilius in ἐριννύν depravari potuit, et satis frequenter ab Aeschylo et Euripide usurpata est. Sed redeo in viam. Pleonasmi, quem perstringo, exempla praebent porro Sophocles Antig. vs. 854 sq.:

ὑψηλὸν εἰς Δίκας βάθρον
προσέπεσες etc.

ibidem vs. 1223. ἀμφὶ μέσσῃ περιπετῆ προσκείμενον. Oedip. Col. vs. 1269. πρὸς σοὶ παραστάθήτω. Euripides Androm. vs. 69. ὃν ἔξω δωμάτων ὑπεξέθου. Auctor Rhesi vs. 162. παντὶ γὰρ προσκείμενον κέρδος πρὸς ἔργῳ τὴν χάριν τίκτει διπλῆν. Euripides Herc. fur. vs. 79. ὡς πρὸς πατρῷον προσπεσούμενοι γόνυ.

Illud autem mea sententia omnino fieri nequit, ut πρός referatur ad nomen Χρύσης. Non enim excusatur haec ratio eo, quod in iurando obtinere solet, loquendi genere:

πρός νυν σε πατρὸς πρός τε μητρός etc.

In quo quum sit oratio semper concitatior, audacius sane verba collocare licet. Neque vero in hac locutione illam sibi indulsissent licentiam, nisi auditores et lectores enuntiatis primis verbis intelligere potuissent, quomodo singula verba essent coniungenda. At nostro loco, ubi tranquilla decurrit oratio, nemo non praepositionem ad αὐτόν pertinere putabit. Contra omnia bene procedunt, si genitivum τῆς ὠμόφρονος Χρύσης more admodum consueto cum verbo παθή-

ματα copulas. Eodem modo loquutus est Euripides Med. vs. 1251.:

μάταν μόχθος ἔῤῥει τέκνων.

Frustra fuit labor, quem pepererunt liberi. Simili genitivi usu, quamquam contraria ratione dictum est a Theocrito Id. I. vs. 103.:

Δάφνις κεἰν 'Αΐδᾳ κακὸν ἔσσεται ἄλγος Ἔρωτος.

ubi non debebat Kiesslingius p. 84. negare, genitivum *Ἔρωτος* commode posse explicari. Sensus est: *Daphnis etiam apud inferos caussa erit acerbi doloris, quem percipiet Amor.*

Vss. 206—209.

Ἦπου τῇδ' ἢ τῇδε τόπων;
βάλλει, βάλλει μ' ἔτυμα φθογγά
του στίβου κατ' ἀνάγκαν
ἕρποντος· οὐδέ με λάθει
βαρεῖα τηλόθεν αὐδὰ
τρυσάνωρ· διάσημα γὰρ θροεῖ.

Persuasit sibi quidem Buttmannus, recte observasse Hermannum, hos versus, qui vulgo tribuuntur Neoptolemo, Choro esse ascribendos, sed quum fieri non posse putaret, ut verba *οὐδέ με λάθει* etc. ex eodem ore veniant, unde priora *βάλλει* etc., idem prorsus, ut ait, significantia, ita potius statuendum monuit, esse quidem haec omnia Chori, sed ita, ut trepidantium voces singulae se excipiant et tantum non commisceantur. Itaque alius esse interrogationem *ἦπου* — alius iterum verba *οὐδ' ἐμέ* (ita enim iam scribendum putat) *λάθει.* At duo sunt, quae huic sententiae adversantur. Primum quod carmen antistrophicum non licet eodem modo, quo strophicum, inter diversas Chori personas dividere. Cui argumento ut non multum tribuas propter alios quosdam Chori cantus, qui nunc ab

editoribus ita sunt dispositi, ut Chori verbis plura respondeant Hemichoria vel vice versa, alterum certe, quod rationi isti obstare dico, nullo poteris exemplo defendere. Significo autem hoc, quod in stropha medio versu altera persona alterius orationem excipit, dum versus antistrophicus una orationis perpetuitate decurrit. Qua propter mihi non dubium videtur, quin versus 202—209. a toto Choro sint decantati. Tautologiam vero, quam sibi visus est Buttmannus in hac oratione deprehendisse, nullam esse facile intelliges, ubi sensum loci recte explanaveris. Verbo enim φθογγά non *vox*, ut censent plerique interpretes, sed *sonitus*, *strepitus* denotatur. Quam significationem aperte etiam requirit verbum, quod inde pendet, στίβου. Non recte enim hoc Buttmannus cum Brunckio in στίβον mutavit. Quo sensu enim στίβον ἕρποντος a Choro dici potuisse putes? De semita cogitare ineptum est, quandoquidem Chorus nondum videbat Philoctetam accedentem, sed sonitum tantum ingredientis audiebat. Neque ut στίβον ἕρπειν pleonastice usurpatum ducas pro simplici ἕρπειν, quemadmodum ὁδὸν ἐλθεῖν et similia dicantur, significatus vocis στίβος admittit, qua *via trita*, *semita* denotetur oportet. Sine haesitatione igitur restituendum est, quod codd. et Schol. exhibent: φθογγά του στίβου κατ' ἀνάγκαν ἕρποντος· idque explicandum: *strepitus gressus cuiusdam aegre repentis*, *der Laut eines mühsam schleichenden Schrittes.* Quae sententia quomodo Buttmanno perinvenusta videri potuerit, equidem non assequor.

Caeterum eadem fere ratione, qua hic κατ' ἀνάγκαν ἕρπειν dictum, accipiendum est quod infra legitur vs. 291.:

πρὸς δὲ τοῦθ', ὅ μοι βάλοι
νευροσπαδὴς ἄτρακτος, αὐτὸς ἂν τάλας
εἱλυόμην δύστηνος ἐξέλκων πόδα.

Iungenda sunt verba δύστηνος ἐξέλκων ita, ut idem significent atque, δυστήνως ἐξέλκων πόδα, *misere protrahens pedem*. Quod multo venustius dictum, quam quod plerique editores in iisque Buttmannus scribi voluerunt δύστηνον, relatum ad πόδα. Similiter locutus est Euripides Med. vs. 968. ed. Matth.:

δέξεται νύμφα χρυσέων ἀναδέσμων
δέξεται δύστανος ἄταν.

Dissentio enim ab editoribus, qui ad verbum δύστανος articulum subaudiendum statuunt. Quum Glauce, de qua sermo est, nondum sit misera, praestare mihi videtur, δέξεται δύστανος ita ut in Philoctetae loco δύστηνος ἐξέλκων interpretari. Debebat ea misero modo morti occumbere, quod puto poetam et hic indicare voluisse et vs. 977.:

καὶ μοῖραν θανάτου
προσλήψεται δύστανος.

Videatur etiam Sophoclis Aiac. vs. 225. cum nota Hermanni.

Restat, ut in hoc Philoctetae carmine, de quo exposui, vitium tollam, quo metrum vs. 218. laborat. Buttmannus Triclinium secutus hunc et antecedentem versum ita disposuit:

ἢ ναὸς ἄξενον αὐγάζων ὅρμον.
προβοᾷ γάρ τι δεινόν.

strophicos sic:

βαρεῖα τηλόθεν αὐδὰ τρυσάνωρ·
διάσημα θροεῖ γάρ.

Quam dispositionem equidem probare non possum, quum prior versus, qui constat dipodia iambica catalectica, choriambo et duobus spondeis, nunquam, quantum scio, glyconeis numeris, quibus composi-

tum est hoc carmen, consociatus reperiatur. Item vereor magnopere, ut alter versus:

> προβοᾷ γάρ τι δεινόν.

inter glyconea metra locum possit habere. Nihil est autem, quod displiceat in dispositione horum versuum, quam servarunt codd. et editt. antiquae:

> βαρεῖα τηλόθεν αὐδά
> τρυσάνωρ· διάσημα γὰρ θροεῖ.

Sed non congruit metrum versuum antistroph.:

> ἢ ναὸς ἄξενον αὐγά —
> ζων ὅρμον· προβοᾷ γάρ τι δεινόν.

Triclinii mutatio, qui verba γὰρ θροεῖ transposuit, vel propterea ferri non potest, quia nullum extat exemplum versus glyconei, qui iambi loco dipodia trochaica finiatur. Aptissimum contra numerum restitues, si hanc mecum facis versu antistrophico transpositionem: προβοᾷ τι γὰρ δεινόν. *) Iam si praeterea approbas, quod Hermannus coniecit, mihique persuasit, transponenda esse verba αὐγάζων ὅρμον, vide, quanta sit aequalitas vocum eodem et strophae et antistrophae loco positarum:

> τρυσάνωρ· διάσημα γὰρ θροεῖ.
> αὐγάζων· προβοᾷ τι γὰρ δεινόν.

Non obstat autem huic mutationi illud, quod strophae versus iambicum exitum, antistrophae vero

---

*) Insolens quidem est haec vocum τὶ γὰρ collocatio, neque vero soloeca. Deprehenditur praeterea in Euripidis Iphig. T. vs. 1005.:

> τίν' αἰτίαν ἔχουσ'; ὑποπτεύω τι γάρ.

et fortassis alibi in poetarum carminibus. Eo verosimilior autem nostra coniectura est, quo magis intelligitur, quid commoverit librarios, ut pristinum verborum ordinem mutarent.

spondaicum habet. Idem fecit Euripides in eiusdem metri versu (Med. 161.):

τάκου δυρομένα σὸν εὐνέταν.

cui respondet vs. 187.:

πένθος γὰρ μεγάλως τόδ' ὁρμᾶται.

Exposuit de hoc versuum genere Hermannus Elem. doctr. metr. p. 564 sq. Exemplis, quae ibi sunt memorata, addo haec: Aeschyl. Supplic. vs. 48. 56.:

εὐλόγως, Ἔπαφόν τ' ἐγέννασεν.
γνώσεται δὲ λόγους τις ἐν μάκει.

Sophocl. Antig. vs. 938. 948. ed. Erf. min.:

τυμβήρει θαλάμῳ κατεζεύχθη.
πετρώδει κατάφρακτος ἐν δεσμῷ.

Euripid. Hippol. vs. 129. 139.:

πρῶτα φάτις ἦλθε, δέσποιναν.
κέλσαι ποτὶ τέρμα δύστανον.

Euripid. Ion. vs. 1060. 1073.:

πλὴν τῶν εὐγενετᾶν Ἐρεχθειδᾶν.
ἃ τῶν εὐπατριδᾶν γεγῶσ' οἴκων.

In quibus tamen omnibus exitum spondaicum servari patet. Sed fortassis eodem modo, quo Medeae versus, antiquitus sibi responderunt Sophocl. Aiac. vss. 598. 608. ed. Herm. Nam versu priore omnium fere codicum haec est scriptura:

μή —
λων, ἀνήριθμος αἰὲν εὐνόμᾳ.

Alter ita se habet:

οἰοβώ —
τας φίλοις μέγα πένθος εὕρηται.

Non diffiteor, magnam habere veri speciem quod Hermannus e Triclinii recensione recepit εὐνώμᾳ. Sed quum altera lectio talis sit, quae vix videatur librariis tribui posse, admodum dubitaverim, an non genuinum sit εὐνώμᾳ: nisi quis formam εὐνόμας loci sensui repugnare doceat. —

Antequam ulterius progrediar in tractandis Philoctetae locis, placet data opportunitate de duobus Oedipi Colonei canticis exponere, quae mihi simili personarum perturbatione laborare videntur, qua carmen, in quo explicando et corrigendo modo laboravimus, erat depravatum. Utrumque antistrophicum est, et inter Chorum et actores divisum. Prius, quod continetur vss. 833—843. et 876—886., ita exhibuit Brunckius:

στροφή.

AN. *ἰὼ πόλις.*
XOP. *τί δρᾷς, ὦ ξέν'; οὐκ ἀφήσεις; τάχ' εἰς*
βάσανον εἶ χερῶν.
KPE. *εἴργου.* *XOP.* *σοῦ μὲν οὔ, τάδε γε μωμένου.*
OIΔI. *πόλει μάχῃ γάρ, εἴ τι πημαίνεις ἐμέ.*
XOP. *οὐκ ἠγόρευον ταῦτ' ἐγώ;* *KPE.* *μέθες χεροῖν*
τὴν παῖδα θᾶσσον. *XOP.* *μὴ 'πίτασσ' ἃ μὴ κρατεῖς.*
KPE. *χαλᾶν λέγω σοι.* *XOP.* *σοὶ δ' ἔγωγ' ὁδοιπορεῖν.*
προβᾶθ' ὧδ', ἐμβᾶτε, βᾶτ' ἔντοποι.
πόλις ἐναίρεται, πόλις ἐμὰ σθένει.
προβᾶθ' ὧδέ μοι.

ἀντιστροφή.

OIΔI. *ἰὼ τάλας.*
XOP. *ὅσον λῆμ' ἔχων ἀφίκου, ξέν', εἰ*
τάδε δοκεῖς τελεῖν.
KPE. *δοκῶ.* *XOP.* *τάνδ' ἄρ' οὐκ ἔτι νέμω πόλιν.*
KPE. *τοῖς τοι δικαίοις χὠ βραχὺς νικᾷ μέγαν.*
OIΔI. *ἀκούεθ' οἷα φθέγγεται;* *XOP.* *τά γ' οὐ τελεῖ.*
KPE. *Ζεὺς ταῦτ' ἂν εἰδείη· σὺ δ' οὔ.*
XOP. *ἆρ' οὐχ ὕβρις τάδ';* *KPE.* *ὕβρις· ἀλλ' ἀνεκτέα.*
XOP. *ἰὼ πᾶς λεώς, ἰὼ γᾶς πρόμοι,*
μόλετε σὺν τάχει, μόλετ', ἐπεὶ περῶ —
σιν ἤδη πέραν. *)

---

*) Admisi Seidleri coniecturam, propositam in libro de

Nemini occultum esse potest, qui Hermanni praecepta de systematis antistrophicorum noverit, huiusmodi cantica, quale hoc est, ita a poetis tragicis composita esse, ut eadem, quae in ipsis strophis observabatur aequalitas, etiam in personarum vicibus custodiri soleret. Qua quidem in re tanta sunt usi diligentia, ut, si in mediis versibus mutabatur persona, utrobique id in eodem pede, et cuiusque pedis eadem in syllaba fieret. Quapropter sicubi offendimus carmen antistrophicum, in quo non est omnino instituta aequalis personarum distributio, primum omnium suspicio oriatur oportet, librariorum potius incuriae quam poetae consilio inaequalitatem deberi. Quae si removeri potest absque ullo sensus detrimento, non dubitandum erit punctum temporis, quin continuo removenda sit. Iam quod hoc Oedipi Colonei canticum attinet, sensus verborum non tantum permittere mihi videtur, sed adeo postulare, ut personae ad eum modum, quem aequalitas ista requirit, distribuantur: idque iam demonstrare conabor.

Nihil est perturbationis in verss. 2. 3. 4. 9. 10. 11. strophae et antistrophae. Sed interrumpitur iam aequalitas vs. 5. strophico, quippe quem Oedipo tribui vidimus. At recte intellexit Reisigius, sententiam huius versus eam esse, quae non potuerit ab alio quam a Creonte enuntiari. Miror autem, eundem virum sagacissimum sequentia:

οὐκ ἠγόρευον ταῦτ' ἐγώ;

cum reliquis editoribus pro Chori verbis habuisse. Quid enim praedixit Chorus, quod apposite nunc Creonti queat in memoriam revocare? Refert huc

---

Vss. Dochm. p. 278. Codd. et editt. vett. vitiose praebent: *ἐπεὶ πέραν περῶσι δή.* Brunckius scripsit: *περῶσιν ἤδη.* Reisigius: *περῶσιν δίκης.* Martinus coniecit: *περῶσιν σύδην.*

Reisigius verba, quae modo praecesserunt vs. 835. τάχ' εἰς βάσανον εἶ χερῶν. At haec, nisi inepte Chorum locutum censeas, nulla poterat ratione respicere. Creon enim modo Chorum a proposito isto, quod significatur vs. 835., deterrere studet eo argumento, quod iniuria, quae sibi inferatur, in civitatem etiam suam cadat eaque bellum contra eam moveatur. Cui Creantis dicto qui tandem Chorus ita potest respondere, ut denuo tanquam immemori inculcet ei voluntatem suam, de qua ipsa abiicienda Creon monet? Quae quum ita sint, non possum, quin faciam cum Zacharia Mudgio, qui ab Oedipo verba illa recitata fuisse existimavit. A quo quam apte proferantur, facile intelliget, qui comparaverit ea, quae supra sunt dicta vss. 652—657. Non minus certum iudico, verba quae sequuntur: μέθες χεροῖν τὴν παῖδα θᾶσσον, non posse ex ore Creontis, cui vulgo ascribuntur, venire. Etenim non Chorus, cui haec dici existimanda forent, manibus tenebat Antigonam, sed ipse Creon supra satellites, quibuscum accesserat, eam prehendere iusserat, et in eo iam erat, ut prehensam abduceret. Cfr. vss. 826. 827. 829. cum nota Scholiastae, et vs. 832. Unde etiam Chorus vs. 834. Creonti iubet, ut dimittat Antigonam: quam quum iste in proxime antecedentibus se redditurum neget, luce clarius est, oportere Choro tribui verba, quae Creonti ascripta leguntur in codd. et editionibus. Sequitur autem continuo, verbis, quae succedunt:

μὴ 'πίτασσ' ἃ μὴ κρατεῖς.

non Chori nomen, sed Creontis esse praefigendum. Neque aliena ea esse ab huius persona, docent quae paullo ante ab eodem monita sunt vs. 830.:

οὐχ ἅψομαι τοῦδ' ἀνδρὸς, ἀλλὰ τῆς ἐμῆς.

et vs. 832.:

τοὺς ἐμοὺς ἄγω.

Denique manifestum est, versum 840. sic potius dividendum esse inter Chorum et Creontem, ut prior pars:

χαλᾶν λέγω σοι.

Chori sit, instantis Creonti, ut solvat Antigonam, posterior vero:

σοὶ δ' ἔγωγ' ὁδοιπορεῖν.

Creontis. Quae postrema verba ambigi tantum potest utrum ad Chorum dixerit Creon, an ad Antigonam. Ad Chorum si dixit, vox ὁδοιπορεῖν sic est accipienda, ut habeat recedendi significatum. Probabile est enim, Chorum propius adiisse Creontem, manus cum eo conserturum, quia sponte Antigonam dimittere nolebat. Quo facto recte poterat Creon dicere: iubeo te recedere. Sed vero similior mihi videtur Hermanni sententia, qui exponentem me in Societate Graeca, quam moderatur, de hac personarum distributione, potius ad Antigonam orationem hic converti monuit. Indicio enim satis manifesto sunt sequentia Chori et Antigonae verba. Caeterum si quis quaerat, unde factum sit, ut personarum nomina adeo perverse a librariis collocarentur, facillime huius erroris rationem indicare possumus. Scilicet Creontis nomen quum forte ante vers. 837. πόλει μάχῃ γὰρ etc. oblitteratum esset et assumtum Oedipi nomen, proximum quodque suo loco motum et antecedenti versui ascriptum est.

Sed reliquum est, ut dicam de primo strophae et antistrophae versu. In aperto est, antistrophicum ἰὼ τάλας non posse Oedipi personae eripi. Contra sententia strophici ἰὼ πόλις eiusmodi est, ut utriusque Oedipi et Antigonae orationi convenire videatur. Iam vero quum praeter hunc locum reliqui versus omnes, qui sibi sunt oppositi, ab una eademque

persona recitentur, equidem sine ulla haesitatione exclamationem istam ἰὼ πόλις Oedipo tribuendam arbitror. Atque quemadmodum mea fert opinio, aptius etiam est, dici haec ab Oedipo, quandoquidem huius maxime caussa Chorus, qui aderat, et Atheniensium civitas Antigonam servare ac retinere debebant, ideoque patris preces maiorem quam filiae auctoritatem habebant.

Postremo alia hoc carmen obsidet difficultas, quae posita est in eo, quod versui 839. non satis respondet is, qui est oppositus, antistroph. vs. 882. Prior enim integro constat senario, posterior dimetro tantum iambico. Intellexerunt igitur editores, excidisse aliquid in antistropha, quod alii alio modo restituere sunt conati. Sed errarunt ad unum omnes, quod Creontis orationem: Ζεὺς ταῦτ' ἂν etc. mancam esse, eamque sic integrandam autumarunt, ut trimetrum iambicum conficeret. Cui opinioni plane adversatur reliqui carminis conformatio, quae nos cogit statuere, post vs. 881. interiisse Chori quaedam verba, quae expleverint dipodiam iambicam hypercatalecticam, et responderint strophicis:

τὴν παῖδα θᾶσσον.

Creontis autem versum: Ζεὺς ταῦτ' ἂν etc. ad amussim congruisse antiquitus cum strophico: μὴ 'πίτασσ' etc. Quae vero fuerint ista, quae sunt oblitterata, Chori verba, non valeo equidem dicere, quum de variis cogitare liceat. In Creontis autem oratione non temere quis pronomen ταῦτα eiiciendum crediderit.

Iam totum carmen quemadmodum a poeta constitutum fuisse reor, denuo apponam:

στροφή.

ΟΙΔΙ. ἰὼ πόλις.

ΧΟΡ. τί δρᾷς, ὦ ξέν'; οὐκ ἀφήσεις; τάχ' εἰς
βάσανον εἶ χερῶν.

ΚΡΕ. εἴργου. ΧΟΡ. σοῦ μὲν οὔ, τάδε γε μωμένου.
ΚΡΕ. πόλει μάχῃ γάρ, εἴ τι πημαίνεις ἐμέ.
ΟΙΔΙ. οὐκ ἠγόρευον ταῦτ' ἐγώ; ΧΟΡ. μέθες χεροῖν
τὴν παῖδα θᾶσσον. ΚΡΕ. μὴ 'πίτασσ' ἃ μὴ κρατεῖς.
ΧΟΡ. χαλᾶν λέγω σοι. ΚΡΕ. σοὶ δ' ἔγωγ' ὁδοιπορεῖν.
ΧΟΡ. προβᾶθ' ὧδ' ἐμβᾶτε, βᾶτ' ἔντοποι.
πόλις ἐναίρεται, πόλις ἐμὰ σθένει.
προβᾶθ' ὧδέ μοι.
ἀντιστροφή.
ΟΙΔΙ. ἰὼ τάλας.
ΧΟΡ. ὅσον λῆμ' ἔχων ἀφίκου, ξέν', εἰ
τάδε δοκεῖς τελεῖν.
ΚΡΕ. δοκῶ. ΧΟΡ. τἀνδ' ἄρ' οὐκ ἔτι νέμω πόλιν.
ΚΡΕ. τοῖς τοι δικαίοις χὠ βραχὺς νικᾷ μέγαν.
ΟΙΔΙ. ἀκούεθ' οἷα φθέγγεται; ΧΟΡ. τά γ' οὐ τελεῖ,
⏑ – ⏑ – ⏓. ΚΡΕ. Ζεὺς [ταῦτ'] ἂν εἰδείη, σὺ δ' οὔ.
ΧΟΡ. ἆρ' οὐχ ὕβρις τάδ'; ΚΡΕ. ὕβρις, ἀλλ' ἀνεκτέα.
ΧΟΡ. ἰὼ πᾶς λεώς, ἰὼ γᾶς πρόμοι,
μόλετε σὺν τάχει, μόλετ', ἐπεὶ περῶ-
σιν ἤδη πέραν.

Progredior ad alterum Oedipi Colonei canticum, quod legitur vss. 1724—1750. Sed in hoc non inaequalem tantum, quae deprehenditur, personarum distributionem, verum alia etiam incommoda, quibus tum metrum tum sensus versuum quorundam premitur, removere studebimus. Exstat autem totum carmen in editione Brunckii ita scriptum ac dispositum:

στροφή.

ΑΝ. πάλιν, φίλα, συθῶμεν.
ΙΣ. ὡς τί ῥέξομεν;
ΑΝ. ἵμερος ἔχει με — ΙΣ. τίς;
ΑΝ. τὴν χθόνιον ἑστίαν ἰδεῖν.
ΙΣ. τίνος; ΑΝ. πατρός, τάλαιν' ἐγώ.
ΙΣ. θέμις δὲ πῶς τάδ' ἐστί; μῶν οὐχ ὁρᾷς —

AN. τί τόδ' ἐπέπληξας; *ΙΣ.* καὶ τόδ' ὡς —
AN. τί τόδε μάλ' αὖθις . . . . .
ΙΣ. . . . .
ἄταφος ἔπιτνε, δίχα τε παντός.
AN. ἄγε με, καὶ τότ' ἐνάριξον.
ΙΣ. αἶ αἶ, δυστάλαινα. ποῖ δῆτ'
αὖθις ὧδ' ἔρημος, ἄπορος
αἰῶνα τλάμων ἕξω;

ἀντιστροφή.

ΧΟΡ. φίλαι, τρέσητε μηδέν.
AN. ἀλλὰ ποῖ φύγω;
ΧΟΡ. καὶ πάρος ἀπεφύγετον
σφῷν τὸ μὴ πιτνεῖν κακῶς.
AN. φρονῶ — *ΧΟΡ.* τί δῆθ' ὑπερνοεῖς;
AN. ὅπως μολούμεθ' ἐς δόμους οὐκ ἔχω.
ΧΟΡ. μηδέ γε μάτευε· μόγος ἔχει —
AN. καὶ πάρος· ἐπεὶ . . . .
τοτὲ μὲν πέρα, τοτὲ δ' ὕπερθεν.
ΧΟΡ. μέγ' ἄρα πέλαγος ἐλάχετόν τι.
AN. ναί, ναί· *ΧΟΡ.* ξύμφημι καὐτός.
AN. φεῦ, φεῦ· ποῖ μόλωμεν, ὦ Ζεῦ;
ἐλπίδων γὰρ ἐς τίν' ἡμᾶς
δαίμων τανῦν γ' ἐλαύνει;

Ac primum quidem satis certum mihi videtur, in distribuendis personis poetam eam esse rationem secutum, ut quos versus vel versuum partes in stropha Antigonae et Ismenae assignaverat, eosdem in antistropha Chorum et Antigonam canentes introduceret. Paucos enim versus, in quibus neglectum deprehenditur hoc responsionis genus, aliis fuisse personis, quam quibus ascripti leguntur in codd. et editt. antt., a poeta tributos, plerumque sensus, quem praebent, extra controversiam ponit. Unus tantum locus est, cuius sententia minus aperte

postulare videtur, ut ad concinnitatis legem distribuatur. Dico vss. 2. et 3. Quo magis autem unusquisque sibi persuadeat, nihilominus ibi aliquid mutandum esse, videamus primum de reliquis versibus, qui certa possunt ratione restitui. Itaque progredior ad vss. 6. 7. 8. 9. 10. strophicos, quos etsi apte video et convenienter inter Ismenam et Antigonam distributos, tamen aliis quibusdam incommodis laborare intelligo. Ac primum quidem magna est offensio in metro vs. 6.:

θέμις δὲ πῶς τάδ' ἐστι; μῶν οὐχ ὁρᾷς —

quod dimetro iambico pes creticus additus est. Quae res per se suspicionem movet, novum potius numerum isto pede incipere. Accedit vero aliud, quo magis etiam commoveor, ut versum Ismenae ita dirimendum credam. Quum enim Antigonae verba, quae sequuntur:

τί τόδ' ἐπέπληξας;

tanquam antistrophica sibi opposita habeant proxima:

τί τόδε μάλ' αὖθις;

desideramus aliquid, quod respondeat Ismenae dicto:

καὶ τόδ' ὡς —

Hoc autem restituimus, si verba:

οὐχ ὁρᾷς;

a versu dimetro seiungimus. Continuo patet, duos prodire dimetros trochaicos, qui elegantissime ita procedunt:

οὐχ ὁρᾷς — τί τόδ' ἐπέπληξας;
καὶ τόδ' ὡς — τί τόδε μάλ' αὖθις;

Animadvertendum est autem, quam apte Ismene verbis *οὐχ ὁρᾷς* alium subito numerum inchoaverit. Quum enim illicitum esse dixisset, ad eum locum, quo pater e vita discesserit, accedere (cfr. vs. 1641.), aliud simul addit, cur inutile sit, illuc proficisci, quod pater obierit insepultus et ab omni conspectu

segregatus. Quod quum maxime lugubre accidisset Ismenae et Antigonae, fieri non potuit, quin eius rei commemoratione animus Ismenae vehementer commoveretur. Quem quidem animi motum quis est quin intelligat non potuisse a poeta melius exprimi, quam ita, ut alium continuo numerum introduceret? At, obiiciat aliquis, hoc ut apte fecerit poeta, tamen illud male factum, quod *μῶν* particula, quae arctissime cum sequentibus *οὐχ ὁρᾷς* cohaeret, in finem versus antecedentis reiecta est. Et profecto hoc non caret iusta reprehensione. Sed non cadit haec mea quidem sententia in poetam, sed potius in librarios, a quibus auctoris manum corruptam esse existimo. Scriptum autem fuisse censeo:

θέμις δὲ πῶς τάδ' ἐστι νῷν;
οὐχ ὁρᾷς —

His ita constitutis proximum est, ut videamus de lacuna, quam plerique editores inter Antigonae verba: *τί τόδε μ. ἀ.*, et Ismenae: *ἄταφ.* etc. notarunt. Nego autem, eo loco, quo posita sunt lacunae signa, quidquam excidisse. Ad quam sententiam probandam etsi multis uti possim argumentis, uno tamen nunc defungar, quod repeto ex integritate sensus. Velim enim scire, quid sit, quod in oratione Ismenae, *οὐχ ὁρᾷς καὶ τόδε, ὡς ἄταφος ἔπιτνε δίχα τε παντός,* deesse dici possit. Immo est ea ita perfecta et integra, ut ne locum quidem cuiquam additamento in ea esse contendam. Mecum etiam facit Scholiastes, qui ad vs. 1729. annotavit: *οὐχ ὁρᾷς καὶ τόδε, ὡς ἄταφος ἔπιτνε δίχα τε παντός; τά τε ἄλλα διὰ μέσου κατ' ἀκόλουθον τῆς Ἀντιγόνης.*

Interiisse potius versum, qui positus fuerit post vs. 1733. cum proximum Ismenae responsum, quod non arctissime cohaeret cum autecedente Antigonae enuntiatione, tum antistropha indicio est satis manifesto.

Quae quidem ipsa hoc etiam luculenter probabit, Antigonae versum:

ἄγε με καὶ τότ᾽ ἐνάριξον.

eodem fuisse metro compositum, quo est antecedens. Itaque Sophoclem scripsisse coniicio:

ἄγε με καὶ τότε μ᾽ ἐνάριξον.

In vulgus notum est, quoties librariorum errore in concursu duarum similium syllabarum alterutra sit oblitterata. Ita peccatum puto in Euripidis Herc. fur. vs. 999., ubi Chorus postquam Herculem liberos et uxorem interfecisse suam audivit, in hos luctus erumpit:

ὁ φόνος ἦν, ὃν Ἀργολὶς ἔχει πάτρα
τότε μὲν περισαμότατος, καὶ ἄριστος
Ἑλλάδι τῶν Δαναοῦ παίδων·
τὰ δ᾽ ὑπερέβαλε, παρέδραμε τὰ τότε κακά.

Quamquam bene scio, articulum saepe apud poetas Atticos pronominis vicem sustinere, qua de re monuit inter alios Brunckius ad Soph. Oed. Tyr. vs. 1082., hoc tamen loco, ubi distincte sibi opponuntur ea, quae nunc acciderunt et vetera mala, pronomen demonstrativum requiri existimo, ideoque scribendum esse:

τάδε δ᾽ ὑπερέβαλε, παρέδραμε τὰ τότε κακά.

Qua correctione hoc etiam efficimus, ut metrum huius versus, qui constat duobus dochmiis integrius fiat, quum vulgata servata lectione ultima secundi dochmii syllaba brevis sit. Cuius licentiae etsi plura reperiuntur exempla, tamen non est dubium, quin maluerint poetae, ubi fieri potuerit, longam eo loco usurpare.

Caeterum noli scripturam versus illius, ἄγε με etc. improbare propterea, quod ictus positus est in syllaba, quae accentu caret. Idem factum vs. 1234 huius fabulae:

καὶ φθόνος τό τε κατάμεμπτον.

cui respondet vs. 1220.:

τοῦ θέλοντος, οὐδ' ἔπι κόρος.

Sed ne temere hunc locum comparasse videar, utpote qui aliter ab editoribus quibusdam scriptus legatur, deinde, ubi de hoc cantico exposuero, vulgatam, quam secutus sum, scripturam recte se habere ostendam. Unum addo ad defendendam correctionem, qua metro vs. 1733. succurrere studui, non insolentem esse repetitionem pronominis. Cfr. Hermannus ad Sophocl. Trachin. vs. 218. et Reisigius Comment. Crit. p. 353.

Transeo iam ad antistrophica, in quibus nihil habet offensionis, quod Antigonae verba *οὐκ ἔχω*, quibus trochaici numeri incipiunt, non eodem modo, quo strophica *οὐχ ὁρᾷς*, novam inferunt sententiam. Nam quod in stropha, ubi metri eligendi et accommodandi ad orationem est potestas, iure postulari potest, ut numeri diligentissime concordent cum orationis genere, id sponte patet, secus esse in antistropha, in qua componenda poeta metri necessitate ducitur.

Respondet Chorus:

μηδὲ γε μάτευε. μόγος ἔχει.

quae opponuntur strophicis: *τί τόδ' ἐπέπληξας; — καὶ τόδ' ὡς.* Sed illa quum sint inter Antigonam et Ismenam divisa, haec Choro et Antigonae tribui aequalitatis lex iubet: eamque distributionem tantum abest ut improbet sententiarum nexus, ut omni modo requirat. Chorus enim, qui in eo nunc est, ut consoletur et ad spem revocet Antigonam et Ismenam, qua ratione quove consilio miseria eas opprimi, hic dicere possit, non liquet. Apparebit etiam, idque magis e sequentibus, aliena esse verba *μόγος ἔχει* a Chori oratione. Aptissime contra proferuntur ab

Antigona ita, ut indicet, velle se, quia miseria teneatur, domum reverti. Simul autem patefactum est, proxima verba:

καὶ πάρος ἐπεί·

quae Antigonae adhuc sunt assignata, Chori esse debere. Qua re intellecta, facile etiam vitium, quo sensus et metrum huius versus pessumdatur, removere licet. Desideratur autem una tantum syllaba, ut integer fiat dimeter trochaicus. Ego non dubito, quin scripserit Sophocles:

καὶ πάρος ἐπεῖχε.

Etiam prius urgebat, instabat. Quem verbi ἐπέχειν significatum exemplis illustravit Musgravius annotatione in Eurip. Bacch. vs. 1131. Sententia plana est ac perspicua. Dicit Chorus, etiam olim Antigonam et Ismenam, quum domi commoratae essent, miseriis fuisse oppressas. Conferas autem cum hoc loco initium antistrophae, ubi Chorus, postquam Antigone quaesierat ex eo:

ἀλλὰ ποῖ φύγω;

eadem fere qua hic consolatione utitur:

καὶ πάρος ἀπεφυγ. etc.

Denuo difficultates nobis obiicit sequens Antigonae versus:

τοτὲ μὲν πέρα, τοτὲ δ' ὕπερθεν.

Cuius primum quae sit sententia, fateor me non assequi: etsi quid dici debuerit, e nexu loci mihi videor colligere posse. Nisi enim egregie fallor, hoc ab Antigena significari consentaneum est: modo graviter se vexatam esse miseriis, modo supra modum, id est, se et olim quidem implicitam fuisse incommodis et infortuniis, sed nunc supra modum urgeri. Quod si recte coniicio, sequitur, vocem πέρα, quae pugnat cum sensu isto, corruptam esse. Omnino non video, quid inter hanc et alteram

ὕπερθεν, quae sibi quodammodo opponuntur, discriminis possit intercedere. Revera autem versum hunc corruptela affectum esse, docet strophicus, quicum congruere debet:

ἄταφος ἔπιτνε, δίχα τε παντός.

Et metro et sensui succurri puto scribendo:

τοτὲ μὲν ἄπορα, τοτὲ δ' ὕπερθεν.

Nexus est: μόγος εἶχεν ἡμᾶς τοτὲ μὲν, ὥστε μόλις ἐξῆν πόρον καὶ λύσιν αὐτοῦ εὑρεῖν, τοτὲ δὲ πέρα τοῦ ἐξεῖναι. Consulantur de hac verbi ἄπορος significatione veteres lexicographi. Neque locutio per se ἄπορα εἶχε quidquam habet insolentiae. Similiter dixit Euripides Iphig. Aul. vs. 55.:

τὸ πρᾶγμά δ' ἀπόρως εἶχε Τυνδάρεῳ πατρί.

Tandem Chorus non potest, quin ipse fateatur:

μέγ' ἄρα πέλαγος ἐλάχετόν τι.

De quo versu nihil est quod moneam, nisi vocem πέλαγος quemadmodum hic, ita etiam alibi malorum multitudinem denotare. Legitur apud Euripidem Hippol. vs. 817.:

κακῶν δ' ὁ τλάμων πέλαγος εἰσορῶ
τοσοῦτον, ὥστε μήποτ' ἐκπνεῦσαι πάλιν.

et Supplic. vs. 826.:

ἴδετε κακῶν πέλαγος, ὦ
ματέρες τάλαιναι τέκνων.

Paullo audacius quidem nostro loco πέλαγος absolute positum est non addito verbo, cui mali notio inest: sed poterat tale additamentum salvo sensu omitti, quia de miseria tantum sermo est, et vocabulum, quod subintelligendum est, μόγος modo praecesserat. Caeterum vix opus esse puto, ut post ea, quae adhuc sunt disputata, multis ostendam, hunc Chori versum revera a poeta oppositum fuisse versui 1733.:

ἄγε με, καὶ τότ' ἐνάρξον.

itemque post illum excidisse versum, cui responderit vs. 1747.:

AN. ναὶ, ναί. *XOP.* ξύμφημι καὐτός.

Illud enim fieri non posse, ut hic ipse respondisse statuatur versui 1738., ex eo patet, quod antistrophicus profertur ab Antigona et Choro, neque aliter ut distribuatur, sententia verborum admittit; strophicus autem a sola Antigona. Accedit, quod unusquisque horum versuum ex eo constat metro, ut in oculos statim incurrat, nulla mutatione probabili effici posse, nt accurate sibi respondeant.

Versus autem, qui excidit, quamquam ignorare me fateor, quibus verbis compositus fuerit, tamen quam continuerit sententiam, satis probabiliter indicari posse suspicor. Nempe Ismenam recusavisse puto facere, quod iussa erat ab Antigona; hanc vero ita respondisse, ut ipsam se morti tradituram esse indicaret.

Restat, ut moneam de loco, e cuius sensu supra significavi non posse certum peti argumentum, quo evincamus, aliis eum a poeta tributum fuisse personis, quam quibus in codd. assignatus reperitur. Dico vss. 1739. 1740., qui soli Choro vulgo ascribuntur et ita se habent:

καὶ πάρος ἀπεφύγετον
σφῷν τὸ μὴ πιτνεῖν κακῶς.

Versus strophici contra ita sunt inter Antigonam et Ismenam divisi:

AN. ἵμερος ἔχει με — *IΣ.* τίς;
AN. τὰν χθόνιον ἑστίαν ἰδεῖν.

In quibus quum interpellatio Ismenae eam vim habeat, ut absque magno sensus detrimento tolli nequeat, quod verissime iam monuit Reisigius, aut poetam statuendum est negligentius in distribuendis versibus antistrophicis versatum esse, aut librario-

rum incuria oblitteratum esse, quod a poetae manu erat profectum. Prius vero quum ab omni probabilitate abhoreat, persuasum mihi est, librarios potius, qui in describendo hoc carmine saepius sunt lapsi, aliquod Antigonae dictum, quod responderit Ismenae interpellationi, in stropha positae, corrupisse et in unam cum antecedente verbo vocem confudisse. Quae tamen fuerit genuina scriptura, et quomodo alter horum versuum:

σφῷν τὸ μὴ πιτνεῖν κακῶς.

qui idem non congruit satis cum strophico, comparatus fuerit antiquitus, mihi nondum liquet. Itaque peritioribus hunc locum emendandum relinquo. Totum igitur canticum ita procedat:

στροφή.

AN. πάλιν, φίλα, συθῶμεν. *IΣ.* ὡς τί ῥέξομεν;
AN. ἵμερος ἔχει με — *IΣ.* τίς;
AN. τὰν χθόνιον ἑστίαν ἰδεῖν —
IΣ. τίνος; *AN.* πατρός. τάλαιν' ἐγώ.
IΣ. θέμις δὲ πῶς τάδ' ἐστι νῷν;
οὐχ ὁρᾷς — *AN.* τί τόδ' ἐπέπληξας;
IΣ. καὶ τόδ', ὡς — *AN.* τί τόδε μάλ' αὖθις;
IΣ. ἄταφος ἔπιτνε, δίχα τε παντός.
AN. ἄγε με, καὶ τότε μ' ἐνάριξον.
IΣ. .. .. *AN.* .. ..
IΣ. αἶ, αἶ, δυστάλαινα, ποῖ δῆτ'
αὖθις ὧδ' ἔρημος, ἄπορος
αἰῶνα τλάμον' ἕξω;

ἀντιστροφή.

XOP. φίλαι, τρέσητε μηδέν. *AN.* ἀλλὰ ποῖ φύγω;
XOP. καὶ πάρος ἀπεφύγετον. *AN.* ..
XOP. σφῷν τὸ μὴ πιτνεῖν κακῶς.
AN. φρονῶ — *XOP.* τί δῆθ' ὑπερνοεῖς;

AN. ὅπως μολούμεθ' ἐς δόμους
  οὐκ ἔχω. *ΧΟΡ.* μηδέ γε μάτευε.
AN. μόγος ἔχει. *ΧΟΡ.* καὶ πάρος ἐπεῖχε.
AN. τοτὲ μὲν ἄπορα, τοτὲ δ' ὕπερθεν.
ΧΟΡ. μέγ' ἄρα πέλαγος ἐλάχετόν τι.
AN. ναὶ, ναί. *ΧΟΡ.* ξύμφημι καὐτός.
AN. φεῦ, φεῦ· ποῖ μόλωμεν, ὦ Ζεῦ;
  ἐλπίδων γὰρ ἐς τίνας με
  δαίμων τανῦν γ' ἐλαύνει;

Nondum licet ab hac fabula discedere. Superest enim, ut exponam de verss. 1217 — 1224. In quibus non opus esse puto, ut quidquam propter sensum mutetur, sed tantum ut verba aliter atque vulgo factum est coniungantur. Reprehendit Chorus in initio carminis, ex quo versus isti sunt depromti, eos, qui mediocri vitae parte non contenti maiorem appetant, stultosque esse ait propterea, quia quo diutius *quis* vivat, eo plura ei accidere soleant mala. Tum addit de quibus agitur:

τὰ τέρ -
ποντα δ' οὐκ ἂν ἴδοις, ὁπό -
τε γ' ἄν τις ἐς πλέον πέσῃ
τοῦ θέλοντος, οὐδ' ἔπι κόρος
ἰσοτέλεστος Ἄϊδος,
ὅτε Μοῖρ' ἀνυμέναιος,
ἄλυρος, ἄχορος, ἀναπέφηνε,
θάνατος ἐς τελευτάν.

Ita hunc locum Brunckius dedit, qui in eo tantum a codicum auctoritate recessit, quod ὁπότε γ' ἂν scripsit, pro quo libri ὁπότ' ἂν exhibent. Neque tamen effecit mutatione ista, ut quod voluit metrum restitueretur. Cui quomodo probabiliter succurrendum sit, ipse nunc nescio. Illud intelligo, quodcunque poeta scripserit, quod sententiam attinet non magnopere diversum fuisse ab eo, quod nunc legitur. Vi-

deamus potius de sensu verborum: τὰ τέρποντα δ' οὐκ ἂν ἴδοις, ὁπότ' ἄν τις ἐς πλέον πέσῃ τοῦ θέλοντος. In quibus recte puto Reisigium participium τοῦ θέλοντος sic accepisse, ut habeat vim substantivi. Cuius usus exempla ipse plura attulit in Coniect. in Aristoph. p. 143. Cfr. etiam Hermannus ad Sophoclis Trachin. vs. 195. Itaque verba ὁπότ' ἄν τις ἐς πλέον πέσῃ τοῦ θέλοντος significabunt: quando quis in maiorem inciderit cupiditatem. Sed quaeritur, cuiusnam rei? Quodsi ea tantum respicimus, quae praecedunt proxime, τὰ τέρποντα δ' οὐκ ἂν ἴδοις, videri potest sermo esse de iis, qui nimia voluptatum cupiditate flagrent. Iam poetae mens haec esset: non facile ei laeta contingere, qui maiori studio ea consectetur. At postulat cum totius carminis sententia, tum ratio, quo haec sunt antecedentibus annexa, ut poetam de iis loqui statuamus, qui longaevitatis cupidi sint. Antecedunt autem haec:

ἐπεὶ πολλὰ μὲν αἱ μακραὶ
ἁμέραι κατέθεντο δὴ
λύπας ἐγγυτέρω·

Inde quum poeta sic pergat:

τὰ τέρ —
ποντα δ' οὐκ ἂν ἴδοις etc.

quis est, quin intelligat, ita sibi verba λύπας et τὰ τέρποντα opponi, ut ad unam eandemque rem necessario sint referenda. Variavit poeta tantummodo orationem et pro eo, quod in mente habebat: laeta vero aufferre solent (longi dies), ita dixit: laeta vero non facile videas illi contingere, qui etc. Sequuntur illa quae potissimum difficultate laborare visa sunt editoribus:

οὐδ' ἔπι κόρος
ἰσοτέλεστος Ἄϊδος,

ὅτε Μοῖρ' ἀνυμέναιος,
ἄλυρος, ἄχορος ἀναπέφηνε,
θάνατος ἐς τελευτάν.

Iam veteres interpretes non uno modo haec verba explicuisse, patet e Scholiis, quae ad h. l. prostant. Verumtamen sunt haec ita mutila et corrupta, ut quae fuerit eorum sententia, ne satis quidem perspicere liceat. Unum hoc mihi videtur ex iis prodire, incognitam fuisse interpretibus illis scripturam, quam Musgravius ex eo, quod Scholiis praefixum legitur, ἔπι κοῦρος eruit ἐπίκουρος. Contra ter memoratur ab iis vocabulum κόρος, quod ego, si quid aliud, genuinum esse arbitror. Estque hoc sensui accommodatissimum, modo ne cum sequentibus verbis ἰσοτέλεστος Ἄϊδος coniungas, ut fecit Brunckius. Quod quum sensu cassum esse animadverteret Musgravius, factum esse suspicor, ut de mutatione cogitaret. Nihil non sincerum esse fateberis, ubi comma, quod positum post Ἄιδος, loco suo moveris et post verbum κόρος collocaveris. Verba iam ita cohaerent: οὐδὲ ἔπεστι κόρος, ὅτε Ἄιδος Μοῖρα ἰσοτέλεστος, ἀνυμέναιος, ἄλ., ἄχ. ἀναπέφηνε, θάνατος ἐς τελευτάν. et hunc sensum praebent: laeta vero vix videas eum consequi, qui longioris quam par est vitae cupiditate incensus ne tum quidem satietate afficitur, quum Parca Orci, omnia aequaliter finiens, hymenaei, lyrae et chorearum expers apparuit, et postremo Mors. Cuius sententiae, poetico ornatu enuntiatae, quae sit summa, unus Scholiastarum iam recte est assequutus, qui haec annotavit: οὐ παύσονται τοῦ κόρου, πρὶν εἰς θάνατον ἔλθωσιν. Vix autem est, quod moneam, nihil esse offensionis in eo, quod poeta Parcam et Mortem tanquam diversas personas commemoravit. Parca enim illud est fatum, quod mortem affert, in caussa est, ut veniat. Cfr. Euripidis

Alcest. vs. 32 sqq., ubi ipsa Mors ita Apollinem alloquens introducitur:

οὐκ ἤρκεσέ σοι μόρον Ἀδμήτου
διακωλῦσαι, Μοίρας δολίῳ
σφήλαντι τέχνῃ;

Caeterum quod dispositionem versuum trochaicorum attinet, non possum, quin unice probem eam, quam servarunt editt. Aldi et Iuntt.:

τοῦ θέλοντος, οὐδ' ἔτι κόρος,
ἰσοτέλεστος
Ἅιδος ὅτε Μοῖρ' ἀνυμέναιος,
ἄλυρος, ἄχορος ἀναπέφηνε,
θάνατος ἐς τελευτάν.

Multo aptius enim verbum ἰσοτέλεστος monometrum constituit, quam ἀνυμέναιος. Quippe consentaneum est, eiusmodi verbum eo in loco collocari, quod singularem quandam vim exserat. Epitheton autem ἀνυμέναιος eiusdem est generis atque sequentia ἄλυρος et ἄχορος, ideoque non potuit maiore cum vi quam illa enuntiari. Contra alterum ἰσοτέλεστος iam ita collocatum est, ut fugere nos nequeat, voluisse poetam, ut in eo pronuntiando vox diutius commoraretur. De dispositione versuum antistrophicorum non opus esse puto, ut verbum addam.

Revertor ad Philoctetam. Atque ut ordinem servare pergam, quem in tractandis huius fabulae locis tenere institui, proximum est, ut dicam de versibus 319—321, quos ita exhibent codices:

Ἐγὼ δὲ καὐτὸς τοῖσδε μάρτυς ἐν λόγοις
ὡς εἴσ' ἀληθεῖς οἶδα, συντυχὼν κακῶν
ἀνδρῶν Ἀτρειδῶν, τῆς τ' Ὀδυσσέως βίας.

Rarum dictionis genus, quod obtinet in structura verbi συντυχεῖν cum genitivo casu iuncti, fecit, ut magna de hoc loco inter homines doctos controversia oriretur. Primus extitit Toupius, qui Emendatt. in

Suidam T. I. p. 134. Graecis ita dicere licuisse negavit, ideoque vulgatam scripturam corruptam esse pronuntiavit. Contra quem disputatum est a Brunckio, qui annotatione in Eurip. Orest. vs. 1291. et ad hunc locum patrocinium structurae illius suscepit. Denuo oblocuti sunt Porsonus Append. ad Toup. Emendatt. in Suid. p. 444. et Erfurdtius ad h. l. et ad vs. 1309., qui Toupii iudicio sunt assensi. Postea qui de hoc loco egerunt, omnes quod sciam cum Brunckio fecerunt, ut Matthiae Gr. Gr. §. 382. 4. p. 511., Buttmannus ad hunc locum, et Reisigius Commentatt. Crit. in Oed. Col. vs. 1476. p. 369 sq.

Ab utraque parte, quemadmodum mea fert opinio, sic est disputatum, ut aliquid veri, aliquid vero etiam falsi diceretur. Ac recte quidem mihi videtur Toupius intellexisse, non posse verbum *συντυχεῖν*, si cum genitivo componatur, eandem habere significationem, quam dativo sequente habet. Contra a vero eum aberrasse iudico, quod omnino Graecos isto loquendi genere uti potuisse negavit. Omnis controversia facile dirimi poterit, quum meminerimus, qui sit verbi simplicis *τυχεῖν* usus et significatio. Qua re reputata quid compositum possit denotare et quid non possit, continuo perspicuum erit. Notum est autem omnibus, verbum simplex duplici usurpari significatu, altero ut *fortuito esse, versari,* altero ut *consequi aliquid* denotet. Utriusque usus diversa est ratio et structura. Ubi prior significatus obtinet, intelligitur, casum non posse adiungi ullum, ubi posterior, requiri casum, quo contineatur id, quod quis dicitur nancisci: profertur autem hoc plerumque genitivo, nonnunquam etiam accusativo. *) Iam

*) Hermannus ad Viger. p. 762.: „Cum accusativo *τυγχάνειν*, *metam attingere*, coniungit Homerus Iliad. V, 582. Nec

quum verbum illud ita, ut servet *versandi* notionem, componitur cum praepositione, plane fieri non potest, quin casus sequatur is, quem praepositio regat. Omne enim verbum cum praepositione copulatum aut cum casu construitur, quem postulat praepositio, aut cum eo, quem simplex regit, vacante quodammodo vel aliorsum pertinente praepositione.

Itaque *συντυχεῖν τινος* sensu *conversandi cum aliquo* dici nequit, quia casus genitivus neque a praepositione pendet, neque a notione verbi: eodemque modo non posse *ἐντυχεῖν τινος* significatum *incidendi in aliquem* habere, sponte intelligitur. Nihilominus tamen recte verbum *συντυχεῖν* cum genitivo coniungi potest. Comprobarunt alii, verbum compositum saepenumero eundem casum asciscere, quicum simplex construi solet, si praepositionis vis vel vacat

---

dubitem, ubi *consequi* significat, eodem modo posse construi: quamquam plerisque in locis, ubi haec constructio invenitur, alia admitti explicatio potest." — At multi inveniuntur loci, in quibus *τυγχάνειν* sua ipsius vi accusativum regere apertum est. Quo pertinent: Aeschyl. Choeph. vs. 711. *τυγχάνειν τὰ πρόςφορα*. Sophocl. Oed. Tyr. vs. 598. *τὸ γὰρ τυχεῖν αὐτοῖς ἅπαντ' ἔνι*. Euripid. Hecub. vs. 51. Med. 262. 342. 702. Supplic. vs. 265. Tradit etiam Phavorinus p. 1787., sive potius vetus Grammaticus, quem est secutus, Atticos amasse verbum *τυχεῖν* coniungere cum accusativo. *τυχεῖν αἰτιατικῇ ἀττικῶς. τὸ δ' αὖ δύνασθαι πρὸς θεῶν χρήζω τυχεῖν.* Qui versus depromtus est ex Eurip. Oreste estque 676. ed. Matth. Quapropter non opus esse puto, ut cum Hermanno Soph. Oed. Col. vs. 1106. Philoct. vs. 509. Eurip. Phoen. 999. et Aeschyl. Agam. 1239. per attractionem explicemus. In Sophocl. Antigona vero omnino fieri non posse existimo, ut quod scriptum extat: *τεύξεται τὸ μὴ θανεῖν*, explicetur: *τεύξεται τούτου ὥστε μὴ θανεῖν*. Quae si fuisset auctoris mens, debebat scribi: *τεύξεται τοῦ μὴ θανεῖν*. Praeterea conferatur Buttmannus ad Philoct. vs. 509.

quodammodo vel pertinet aliorsum. Et maxime quidem ad rem nostram appositus est usus verbi συλλαβεῖν τινί τινος, quo proprie significatur: *aliquid apprehendere cum aliquo*, unde alia est orta notio: *alicui in aliqua re opem ferre*, de qua conferantur Brunckius ad Philoctet. vs. 281., Matthiae Gr. Gr. §. 359. p. 384 sq. et Boissonadius ad Philostrati Heroic. p. 384. sq. Fit vero etiam, ut, ubi commemoratio personae non necessaria est, omisso eius nomine tantum συλλαβεῖν τινος dicatur, idque fere significet: *unà aliquid curare.* Praepositionis enim vis non perit penitus, etiamsi casus, quocum alibi iungitur, non est additus. Ita dictum puto ab Euripide Iphig. Aul. vs. 160.:

σύλλαβε μόχθων.

Quae quum ita sint, recte etiam συντυχεῖν τινος dici posse puto, hoc sensu: *unà nancisci aliquid.* Etenim praepositio alio pertinet, genitivus autem pendet a verbo τυχεῖν. Convenire autem apprime hanc significationem locis illis, in quibus συντυχεῖν cum genitivo construitur, facili negotio poterit demonstrari. Initium facio ab eo loco, unde nostra exorsa est disputatio.

Ac verissime quidem iam ab aliis observatum est, non posse vulgatam explicationem, qua συντυχών valeat *congressus,* vel propterea locum habere, quia tum necessario ante κακῶν ἀνδρῶν articulus fuisset addendus, quum supra iam vs. 314. Atridae et Ulysses commemorati sint. Cui quidem incommodo non minus succurrere licet, si, quod ego unice verum puto, verba συντυχὼν κακῶν ἀνδρῶν Ἀτρειδῶν etc. per attractionem dicta censemus et ita explicamus: ὡς κακῶν ἀνδρῶν (συν)τυχὼν Ἀτρειδῶν etc., latine: malos viros expertus Atridas et Ulyssem. Est autem

saepissime hoc attractionis genus a poetis adhi[illegible]
patum, veluti ab Euripide Med. vs. 942.:

> εὐδαιμονήσει δ' οὐχ ἕν, ἀλλὰ μυρία,
> ἀνδρός τ' ἀρίστου σοῦ τυχοῦσ' ὁμευνέτου

Alcest. vss. 10. 11.:

> ὁσίου γὰρ ἀνδρὸς ὅσιος ὢν ἐτύγχανον
> παιδὸς Φέρητος.

in quo loco male comma post ἐτύγχανον ab [illegible]
positum est.

Ibidem vs. 577.:

> αὐτὸς δ' ἀρίστου τοῦδε τυγχάνω ξένου

et vs. 682.:

> εἰ δ' ἄλλου τ[illegible]
> σωτῆρος αὐγὰς εἰςορῶ etc.

Adde eiusdem Troad. vs. 741., Helen. 698. Sopho-
clis Oedip. Tyr. 677. et 1450. et Aristophanis Pl[illegible]
vs. 636.

Praepositionem σύν apte hic eo, quo dixi, [illegible]
gnificatu additam esse verbo τυχών, facile [illegible]
qui nexum loci diligenter consideraverit. S[illegible]
tione eam cum verbo τύχοιμι copulatam [illegible]
dipo Col. vs. 1482.:

> [illegible] συντύχοιμι,
> [illegible] ἄνδρ' ἰδὼν
> [illegible] μετάσχοιμι [illegible]
> [illegible] φανῶ.

[illegible] omni ad P[illegible]
Brunck[illegible] γὰρ co[illegible]
runt: [illegible]
vulga[illegible]
arbit[illegible]

ne[illegible]
μο[illegible]
na[illegible]
su[illegible]

ἐναισίον δὲ σοῦ τύχοιμι.

autem hoc dicere, quia eandem enuntiaturus sententiam, quae modo praegressa est:

ἵλαος, ὦ δαίμων, ἵλαος, εἴ τι γᾷ
ματέρι τυγχάνεις ἀφεγγὲς φέρων.

vox ἐναισίον generis neutrius esse videtur et faustum est, sive faustum omen significare, n autem συντύχοιμι, unà nanciscar. Chorum vss. 1482—1484. ad ea respicere puto, quae Oedipus promiserat, se, si reciperetur ab iensibus et contra Thebanorum iniurias defen-ır, post mortem magnum iis sospitatorem fore. quum imminere nunc Chorus videt, Iovem tonantem mala iamiam sibi immissurum pu-recatur, ut faustum simul omen pro collato cio consequatur (μὴ ἀκερδῆ χάριν μετάσχοιμί Cfr. vss. 376 sqq.:

δώσων ἱκάνω τοὐμὸν ἄθλιον δέμας
σοὶ δῶρον, οὐ σπουδαῖον εἰς ὄψιν· τὰ δὲ
κέρδη παρ' αὐτοῦ κρείσσον', ἢ μορφὴ καλή.

enio ad illum locum, in quo verbum ἐντυχεῖν genitivo iunctum deprehenditur. Legitur is in ne, qu[illegible]tolemus commovere studet Phi-[illegible]roiam proficiscatur. Verba, [illegible]e habent:

[illegible]νος [illegible] τύχης,
[illegible]εῖν
[illegible]
[illegible]ης,

[illegible]χεῖν, [illegible]atu [illegible]ur.

saepissime hoc attractionis genus a poetis atticis usurpatum, veluti ab Euripide Med. vs. 942.:

εὐδαιμονήσει δ' οὐχ ἓν, ἀλλὰ μυρία,
ἀνδρός τ' ἀρίστου σοῦ τυχοῦσ' ὁμευνέτου.

Alcest. vss. 10. 11.:

ὁσίου γὰρ ἀνδρὸς ὅσιος ὢν ἐτύγχανον
παιδὸς Φέρητος.

in quo loco male comma post *ἐτύγχανον* ab editoribus positum est.

Ibidem vs. 577.:

αὐτὸς δ' ἀρίστου τοῦδε τυγχάνω ξένου.

et vs. 682.:

εἰ δ' ἄλλου τυχὼν
σωτῆρος αὐγὰς εἰσορῶ etc.

Adde eiusdem Troad. vs. 741., Helen. 698. Sophoclis Oedip. Tyr. 677. et 1450. et Aristophanis Plut. vs. 636.

Praepositionem *σὺν* apte hic eo, quo dixi, *significatu* additam esse verbo *τυχών*, facile cognoscet, qui nexum loci diligenter consideraverit. Simili notione eam cum verbo *τύχοιμι* copulatam puto in Oedipo Col. vs. 1482.:

ἐναισίου δὲ συντύχοιμι,
μηδ' ἄλαστον ἄνδρ' ἰδὼν
ἀκερδῆ χάριν μετάσχοιμί πως,
Ζεῦ ἄνα, σοὶ φωνῶ.

Brunckius et Buttmannus ad Philoct. vs. 321. verterunt: *utinam cum pio converser:* quem sensum vulgatae scripturae subesse non posse, satis est, ut arbitror, comprobatum.

Matthiae Gr. Gr. p. 511. verba, quae huc pertinent, ita explicat: *ἐναισίου δὲ συντύχοιμι σοῦ, ὦ δαῖμον,* interpretaturque: *utinam propitium numen nanciscar.* Quod si dicere voluisset poeta, persuasum mihi est, scripturum fuisse eum:

ἐναισίον δὲ σοῦ τύχοιμι.

Noluit autem hoc dicere, quia eandem enuntiaturus fuisset sententiam, quae modo praegressa est:

ἵλαος, ὦ δαίμων, ἵλαος, εἴ τι γᾷ
ματέρι τυγχάνεις ἀφεγγὲς φέρων.

Mihi vox ἐναισίου generis neutrius esse videtur et quod faustum est, sive faustum omen significare, verbum autem συντύχοιμι, unâ nanciscar. Chorum enim vss. 1482—1484. ad ea respicere puto, quae supra Oedipus promiserat, se, si reciperetur ab Atheniensibus et contra Thebanorum iniurias defenderetur, post mortem magnum iis sospitatorem fore. Quam quum imminere nunc Chorus videt, Iovem autem tonantem mala iamiam sibi immissurum putat, precatur, ut faustum simul omen pro collato beneficio consequatur (μὴ ἀκερδῆ χάριν μετάσχοιμί πως). Cfr. vss. 376 sqq.:

δώσων ἱκάνω τοὐμὸν ἄθλιον δέμας
σοὶ δῶρον, οὐ σπουδαῖον εἰς ὄψιν· τὰ δὲ
κέρδη παρ' αὐτοῦ κρείσσον', ἢ μορφὴ καλή.

Venio ad illum locum, in quo verbum ἐντυχεῖν cum genitivo iunctum deprehenditur. Legitur is in oratione, qua Neoptolemus commovere studet Philoctetam, ut secum Troiam proficiscatur. Verba, quae huc pertinent, ita se habent:

σὺ γὰρ νοσεῖς τόδ' ἄλγος ἐκ θείας τύχης,
καὶ παῦλαν ἴσθι τῆςδε μήποτ' ἐντυχεῖν
νόσου βαρείας, ἕς τ' ἂν οὗτος ἥλιος
ταύτῃ μὲν αἴρῃ, τῇδε δ' αὖ δύνῃ πάλιν,
πρὶν ἂν τὰ Τροίας πεδί' ἑκὼν αὐτὸς μόλῃς,
καὶ τῶν παρ' ἡμῖν ἐντυχὼν Ἀσκληπιδῶν
νόσου μαλαχθῇς τῆςδε·

Ex iis, quae sunt monita de structura verbi συντυχεῖν, patet nulla ratione fieri posse, ut ἐντυχεῖν significatu *incidendi in aliquem* casui genitivo adiungatur.

Unde sequitur, aut corruptam esse vulgatam huius versus scripturam, aut alia significatione, quam tueatur analogia linguae graecae, verbum ἐντυχεῖν cum genitivo esse compositum. In priorem sententiam qui transit, vix aliud poterit pro depravato habere quam genitivum τῶν Ἀσκληπιδῶν. Qui si mutaretur in dativum numeri dualis, nihil sane esset in structura verborum, quod reprehendi posset. At sensui nego mutationem illam satis esse accommodatam. Ex qua quum indicaretur, futurum esse, ut Philoctetes Troiam deductus obviam fiat Aesculapii filiis, vel incidat in eos, non id diceretur, ab iis eum sanatum iri, quod nunc erat dicendum. Itaque neminem fore confido, quin concedat, id potius agendum esse, ut vulgatae lectionis aptam circumspiciamus interpretationem, quam mutando ut aliquid inferamus textui, quod ne satis quidem convenit. Dictum est paullo ante:

καὶ παῦλαν ἴσθι τῆσδε μήποτ' ἐντυχεῖν.

Scio quidem, Porsonum Tracts. p. 220., Schaeferum Melett. Critt. p. 86. et Elmsleium ad Euripid. Med. p. 172. scribi voluisse: μήποτ' ἂν τυχεῖν, quod probatum etiam est Buttmanno; sed nulla quum assit caussa, cur ἂν particula inseratur, quod docebit doctissima Reisigii nota ad Oedip. Colon. vs. 91. p. 190 sqq., iure meritoque hanc verbi ἐντυχεῖν structuram in rem meam convertere me posse censeo. Comparare licet cum hoc locutionis genere usum verbi ἐνδέχεσθαι, in quo praepositio saepe eandem vim habet, ut, si dicitur:

ὧν δ' οὕνεκ' ἦλθον, σημανῶ· σὺ δ' ἐνδέχου.

At vs. 1333. primo obtutu plane fieri non posse videtur, ut ἐντυχών sic, ut vs. 1329. explicetur, quia non commemoratum est, quod consequuturus sit Philoctetes. Nihilominus id adesse puto, etsi non diserte

expressum. Dico verba νόσου μαλαχθῇς τῆςδε. Non difficile est intellectu, μαλάσσεσθαι cum genitivo iunctum ita esse explicandum: μάλαγμα νόσου τυγχάνειν. Ad quam dicendi rationem referendum est, quod Euripides dixit Orest. vs. 43.:

χλανιδίων δ' ἔσω
κρυφθείς, ὅταν μὲν σῶμα κουφισθῇ νόσου,
ἔμφρων δακρύει·

pro ὅταν μὲν σῶμα κούφισιν τύχῃ νόσου. Similia vide ab Hermanno observata ad Sophocl. Electr. vs. 617. Debebat igitur Sophocles, si μάλαγμα adhibuisset, usurpare verbum τυγχάνειν, et poterat pro eo recte ut paullo ante eligere ἐντυχεῖν. Nulla esset difficultas, si legeretur:

καὶ τῶν παρ' ἡμῖν ἐντύχῃς Ἀσκληπιδῶν
νόσου μάλαγμα τῆςδε·

Verbum τυγχάνειν enim saepe construitur cum duplici casu, quorum altero continetur res, quam quis nanciscitur, altero persona, a qua aliquid consequitur. Ita dictum hac fabula vs. 1315.: ὧν δὲ σου τυχεῖν ἐφίεμαι, ἄκουσον. Euripid. Med. vs. 262.: τοσοῦτον οὖν σου τυγχάνειν βουλήσομαι. Adde eiusdem fab. vs. 342. et Alcest. vs. 702. Est autem in promtu videre, cur poeta sic loqui noluerit. Idem locutionis genus repetiisset, quo modo usus est. Liberius igitur orationem instituit, et substantivum, quod verbum ἐντυχών postulabat, in verbum μαλαχθῇς commutavit.

Caeterum tuetur etiam istam verbi ἐντυχεῖν structuram Herodoti locus, qui extat Lib. IV. c. 140. et iam a Matth. Gr. Gr. l. l. allatus est. Ibi legitur: οἷα δὲ νυκτός τε ἀπικόμενοι, καὶ λελυμένης τῆς γεφύρης ἐντυχόντες, ἐς πᾶσαν ἀῤῥωδίην ἀπίκατο, μή σφεας οἱ Ἴωνες ἔωσι ἀπολελοιπότες. — Qui locus etsi eo differt a Sophocleis, quod genitivus sequitur, tamen hoc cum illis commune habet, quod casus a verbo sim-

plice regitur, praepositione ita fere vacante, ut in verbo ἐμπελασθῆναι, quod a Sophocle Trach. vs. 17. cum genitivo copulatum est.

Postremo ad utriusque verbi συντυχεῖν et ἐντυχεῖν duplicem usum et significatum defendendum plurimum facit hoc, quod etiam verbum προστυχεῖν, quod secundum lexicographorum et grammaticorum monita tantum cum dativo construitur, Sophocles duobus in locis ita cum genitivo construxit, ut *consequendi* notionem ei attribueret. Scriptum est in Electr. vs. 1463.:

ὡς, εἴ τις αὐτῶν ἐλπίσιν κεναῖς πάρος
ἐξῄρετ' ἀνδρὸς τοῦδε, νῦν ὁρῶν νεκρόν,
στόμια δέχηται τἀμά, μηδὲ πρὸς βίαν,
ἐμοῦ κολαστοῦ προστυχών, φύσῃ φρένας.

Pertinet hic quoque locus ut Herodoteus ad attractionis genus, de quo dictum ad Philoctetae vs. 321. Alter locus, ubi eadem structura usurpatum est hoc verbum, legitur Philoctet. vs. 552.:

ἔδοξέ μοι μὴ σῖγα, πρὶν φράσαιμί σοι
τὸν πλοῦν ποιεῖσθαι, προστυχόντι τῶν ἴσων.

In quo etiamsi scriberetur, quod editoribus quibusdam placuit, προστυχών τι τῶν ἴσων, tamen hoc maneret, verbum προστυχεῖν valere hic *consequi*. Recte vero Buttmannus vulgatam lectionem ab interpretum coniecturis defendit. In utroque loco autem compositum προστυχεῖν a simplici verbo ita differre statuo, ut Latinorum *adipisci* a simplici *apisci* discrepat.

Vss. 350—351.

Μάλιστα μὲν δὴ τοῦ θανόντος ἱμέρῳ
ὅπως ἴδοιμ' ἄθαπτον· οὐ γὰρ εἰδόμην.

Dubius haeret Buttmannus, utrum ἄθαπτον ad antecedentia ὅπως ἴδοιμι, an ad sequentia οὐ γὰρ

εἰδόμην referat, posita post ἴδοιμι interpunctione. Utrumque enim aliquid duri continere ait. Mihi quidem vel sola particularum οὐ γὰρ collocatio postulare videtur, ut post ἄθαπτον incidamus. Neque video quid sit, quod in hac explicandi ratione displicere queat. Ad verba enim οὐ γὰρ εἰδόμην nihil supplendum nisi notio *antea*, quae sumenda est e verbo ἄθαπτον, quo poeta significavit *ante sepulturam*. Idque sane, si sensum tantum spectaveris, idem est atque illud, quod Scholiastes subaudiendum putavit ζῶντα.

Vss. 369 sq.

Ὦ σχέτλι᾽, ἦ ᾽τολμήσατ᾽ ἀντ᾽ ἐμοῦ τινι
δοῦναι τὰ τεύχη τἀμά, πρὶν μαθεῖν ἐμοῦ;

Recte quidem vidit Buttmannus, vocativum ὦ σχέτλιε non posse cum Brunckio eiusmodi tantum exemplis defendi, in quibus quum oratio ad plures convertatur, tamen unius tantum nomen compellatur. Hic enim non nomen est positum, sed adiectivum, quod primo obtutu dubium sane est, utrum ad Agamemnonem an ad Menelaum sit referendum. Nihilominus recte mea sententia poterat Neoptolemus ὦ σχέτλιε etc. dicere, Agamemnonem intelligens, quia e nexu totius loci patet, convicium ad eum spectare, qui arma Achillis Ulyssi tradiderat. Eius autem iniuriae auctorem nemo non Agamemnonem habere debebat, utpote penes quem summum esset imperium. Praeterea conferri potest cum hoc loco vs. 1376 sq., ubi Philoctetes, postquam in antecedentibus de Atridis in universum sermo fuerat, ita Neoptolemum alloquitur:

ἢ πρὸς τὰ Τροίας πεδία καὶ τὸν ᾽Ατρέως
ἔχθιστον υἱὸν τῷδε δυστήνῳ ποδί;

Hic quoque Agamemnonem significari, in aprico est.

Vss. 377—378.

Ὁ δ' ἐνθάδ' ἥκων, καίπερ οὐ δύσοργος ὤν,
δηχθεὶς πρὸς ἃ 'ξήκουσεν ὧδ' ἠμείψατο.

Non convenit mihi in explicatione huius loci cum Buttmanno, qui verba δηχθεὶς πρὸς ἃ ἐξήκουσεν elliptice dicta existimat pro eo, quod plenus sermo postularet: δηχθεὶς πρὸς τούτων ἃ ἐξήκουσεν. Attulit quidem quo defenderet hanc dicendi rationem simile exemplum, quod legitur vs. 469.:

πρός νυν σε πατρός, πρός τε μητρός, ὦ τέκνον,
πρός τ' εἴ τι σοι κατ' οἶκόν ἐστι προςφιλὲς
ἱκέτης ἱκνοῦμαι etc.

sed est hoc tamen a nostri loci ratione paullulum diversum. Ibi enim verba sic sunt collocata, ut nulla sensus ambiguitas oriri possit, hic contra quisque tum auditorum tum lectorum invitus cogitur, ut quae sunt coniuncte prolata πρὸς ἃ etiam quoad sensum cohaerere putet. Deinde si voluisset poeta id dicere, quod dicendum fuisse autumat Buttmannus, quis tandem dubitabit, quin ita potius, uti per metrum licuit, loquutus fuisset:

δηχθεὶς πρὸς ὧν ἤκουσεν ὧδ' ἠμείψατο.

Noluit autem meo iudicio ita orationem conformare, quia δηχθεὶς πρὸς τούτων insolenter dictum fuisset pro δηχθεὶς τούτοις. Itaque facere non possum, quin verba hac ratione iungam: δ. πρὸς ταῦτα, ἃ ἐξήκουσεν, ὧδε ἠμ., quam ipse Buttmannus simplicissimam videri posse monuit: neque offendor eo, quod participium δηχθείς absolute positum est: quae res Buttmannum commovit, ut istam, quam vidimus, explicationem proponeret. Nam et saepe alibi verbum δηχθῆναι per se significat dolore affici, iratum esse, ut Eurip. Med. vs. 812., neque opus erat, ut hic res, quae iratum reddiderat Ulyssis animum, adderetur, quandoquidem ea quae fuerit, e nexu loci aperte pro-

dit. Praeterea eodem etiam modo paullo ante vs. 374. χολωθεὶς positum reperitur. Caeterum data opportunitate moneo, idem fere attractionis genus, quod Buttmannus vs. 469. notavit, usurpasse mihi videri Xenophontem in Anab. Lib. I. c. 10. §. 3., ubi legitur: Ἡ δὲ Μιλησία ἡ νεωτέρα ληφθεῖσα ὑπὸ τῶν ἀμφὶ βασιλέα ἐκφεύγει γυμνὴ πρὸς τῶν Ἑλλήνων οἳ ἔτυχον ἐν τοῖς σκευοφόροις ὅπλα ἔχοντες etc. Editores paene omnes inter verba πρὸς τῶν aliquid excidisse suspicati sunt, quo pertinuerit praepositio πρός. Alii qui locum pro integro habuerunt, miro prorsus modo verba sunt interpretati. Equidem existimo, Xenophontem brevitatis studio maluisse per attractionem πρὸς τῶν Ἑλλ. οἳ ἔτυχον etc. dicere, quam quod admodum durum etiam fuisset; πρὸς τοὺς τυχόντας τῶν Ἑλλ. etc.

Vss. 416—417.

Οἴμοι τάλας. ἀλλ' οὐχ ὁ Τυδέως γόνος,
οὐδ' οὑμπολητὸς Σισύφου Λαερτίου
οὐ μὴ θάνωσι;

Non erat cur editores genitivum Λαερτίου, qui omnium fere codd. et Schol. auctoritate nititur, constanter in dativum commutarent. Potius hic ipse habet aliquid insolentiae, quum Ulysses ubique in hac fabula non Sisyphi sed Laertis filius dicatur. In vulgata scriptura, quam tueor, nihil est, quod perperam dictum sit. Genitivus Λαερτίου pendet ab antegressa voce γόνος, alter Σισύφου a verbo ἐμπολητός, quod quomodo genitivum asciscere possit, abunde elucet ex iis, quae monita sunt a Schaefero Melett. Critt. p. 137 sqq. Neque coniunctio genitivorum iure reprehendi potest. Similiter infra vs. 943. Philoctetes dicit:

προθείς τε χεῖρα δεξιὰν τὰ τόξα μου
ἱερὰ λαβὼν τοῦ Ζηνὸς Ἡρακλέους ἔχει.

Quem locum Musgravius probante, ut videtur, Erfurdtio etiam ita monet intelligi posse, ut ipse Hercules dicatur Iupiter. Sed hoc ut lyricis poetis, e quorum carminibus quaedam eiusmodi exempla producta sunt, iisque qui hos imitari studuerunt, dicere licuerit, a familiaris certe sermonis simplicitate plane alienum est. Neque debebat Elmsleius (Mus. Crit. fasc. VI. p. 284.) in Eurip. Iphig. Taur. vs. 250.:

τοῦ συζύγου δὲ τοῦ ξένου τί τοὔνομ᾽ ἦν;

genitivorum concursu offendi. Multo audaciora huius usus exempla videsis a Seidlero commemorata ad Eurip. Electr. vs. 441.

Vs. 441.

Ποῖόν γε τοῦτον, πλήν γ᾽ Ὀδυσσέως ἐρεῖς;

Ita hic versus legitur in duobus codicibus Brunckii: reliqui libri exhibent *ποῖόν τε*, quod Buttmannus recepit. Ipse tamen vir doctissimus in *nota ad* h. l. *γὲ* particulam se praelaturum fuisse profitetur, si in tali interrogatione locum ei concedi constaret. Itaque Florentis Christiani emendationem, *δέ* reponentis in locum inepti *τέ*, unice veram iudicavit. Equidem etiamsi nullus reperiretur locus, in quo similiter *γὲ* particula posita esset, tamen hic quod Brunckii libri praebent servandum dicerem. Nam quod nuper Elmsleius ad Eurip. Med. vs. 1334. p. 286 sq. contendit, voculam illam post interrogationem omnino collocari non posse, id perperam esse decretum, ipsa particulae significatio satis superque declarat. Quae quum sine controversia haec sit, ut verbum, quod antecedit, singularem quandam vim habere indicet, necesse est omnibus iis vocibus particula apponi possit, quas cum vi quadam pronuntiare liceat. Verba autem interrogativa quum nunc maiore nunc minore cum vi proferri soleant,

nihil est, quod eo nos ducat, ut voculam istam post ea sequi posse negemus. Nos quoque vernaculo sermone saepius apponimus vocibus, *wer, was, wie*, voculam *wohl*, qua idem, quod Graeci particula γὲ, efficimus, ut vocem interrogativam praecipuam vim habere intelligatur. Ita optime se habet, quod Neoptolemus dicit: ποῖον γε τούτου πλὴν γ' Ὀδυσσέως ἐρεῖς; *wer wird wohl dieser, von dem du sprichst, anders seyn als Odysseus?* Eodem sensu dictum est in Oedip. Colon. vs. 977.:

πῶς γ' ἂν τό γ' ἆκον πρᾶγμ' ἂν εἰκότως ψέγοις;

quod ita vertendum: *wie kannst du wohl eine That, die wider meinen Willen geschehen ist, mir zum Verbrechen anrechnen.* Neque aliter se habet quod scriptum extat in Eurip. Hec. vs. 757.:

τίνος γ' ὑπ' ἄλλου; Θρῄξ νιν ὤλεσε ξένος.

Adde Eurip. Ion. vs. 999., quem praetermisit Elmsleius:

Ἐριχθόνιον οἶσθ'; ἢ τί γ' οὐ μέλλεις, γέρον;

Praeterea conferatur Reisigius in Commentt. Critt. in Oed. Col. vs. 973. (977. ed. Br.) p. 322 sq., a quo tamen in eo dissentio, quod eandem particulam ante ἆκον positam mutandam statuit. Quae mihi quidem paene necessaria videtur, quandoquidem Oedipus, qui ob eam potissimum caussam reprehensione vacuum se dicit, quod facinus, de quo sermo est, invitus perpatraverit, verba τὸ ἆκον πρᾶγμα prae caeteris distincta voce enuntiasse existimandus est.

Haec quum scripta essent et prelum exercere iam parata, affertur mihi huius fabulae editio a Matthaeio curata, quae ante aliquot menses Altonae prodiit. Quam si prius nactus essem, fortasse quaedam brevius tractassem, quae nunc a viro doctissimo occupata video. Verum admodum pauca esse quum intelligerem, malui ea intacta relinquere, quam mu-

tissimus Erfurdtio indicavit, qui viam monstratam ingredi non dubitavit. Sed plura quum in eius gratiam mutanda essent, factum puto, ut qui postea fabulam ediderunt, assensum cohiberent suum. Videor mihi aliam viam indagasse, eamque multo faciliorem, qua versus isti in antistrophicum ordinem redigantur. Scilicet verba *ὦ παῖ* cum Hermanno in *ἰὼ παῖ* mutanda censeo, et pro prima stropha habeo, cui respondeat versus, qui est 804., *τί φῂς, παῖ;* secundam stropham faciet vs. 785., eiusque antistropham vs. 787.; tertiam denique vs. 790., *ἀτταταῖ* (ita enim scribendum erit pro vulgato *ἀτταταί*), cui iam respondebit vs. 796. Totum igitur systema ita procedet:

782	ἰὼ παῖ.	στρ. ά.
785	παπαὶ, φεῦ.	στρ. β'.
787	προσέρπει.	ἀντιστρ. β'.
790	ἀτταταί.	στρ. γ'.
797	ὤ μοι μοι.	ἀντιστρ. γ'.
804	τί φῂς, παῖ.	ἀντιστρ. ά.

Quae hucusque disputavi, vix ulli obnoxia puto dubitationi. Item certo pronuntiare audeo, delendum esse pronomen *μ'* ante *ἀτελής* positum. Neque enim anapaestus tolerari potest, neque elisio syllabae *μοί*, cuius exemplum apud poetas tragicos nullum reperitur, quod certum sit, unum fortassis apud Hom. Iliad. ζ, 165. Alterum enim, quod Buttmannus attulit ex Iliad. π, 207.:

ταῦτά μ' ἀγειρόμενοι θάμ' ἐβάζετε.

vix dubito, quin ita sit corrigendum:

ταῦτά μοι ἀγρόμενοι θάμ' ἐβάζετε.

Phavorinus p. 27. *ἀγρόμενοι* explicat: *ἀγειρόμενοι.*

Hoc igitur videor mihi certo affirmare posse, scripsisse Sophoclem:

ἀλλ' οὖν δέδοικα, μὴ ἀτελὴς εὐχὴ . . .
ἰὼ παῖ.

Incertum autem videtur, quomodo lacuna versus prioris explenda sit. Probabile est, verbum, quod extremum pedem effecerit, eiusmodi fuisse, quod quum simile esset antecedenti *εὐχή*, facile librariorum oculos effugere potuerit. Quid si scriptum fuit:

ἀλλ' οὖν δέδοικα, μὴ ἀτελὴς εὐχὴ τύχῃ.

De structura verbi *τυγχάνειν* conferatur Lobeckius ad Phryn. p. 277.

Vix ullus est in hac fabula locus, qui tot et tantis prematur difficultatibus, quam Chori cantus, qui legitur vss. 827—864. Quas etsi bene intelligo, me non posse omnes removere, multos tamen locos esse video, quos, ut mea fert opinio, certis potest argumentis demonstrari, perperam ab editoribus tractatos esse. In aliis, qui quomodo explicandi emendandive sint, ipse adhuc ambigo, attentum certe iuvat lectoris animum facere ad difficultates, de quibus nihildum ab editoribus monitum est. — Dicam primum de cantu strophico, cuius quae sit universa sententia, recte iam a plerisque interpretibus intellectum est. Postquam Somnum deum invocavit Chorus, ut Philoctetam occupet, convertit se ad Neoptolemum, eumque hortatur, ut deliberet, quid in hoc rerum statu agendum sit. Quod ita exprimit:

ὕπν' ὀδύνας ἀδαής, ὕπνε δ' ἀλγέων, εὐαὴς
ἡμῖν ἔλθοις·
εὐαίων ὦ 'ναξ,
ὄμμασιν δ' ἀντέχοις
τάνδ' αἴγλαν, ἃ τέταται τανῦν.
ἴθι ἴθι μοι παιών.
ὦ τέκνον, ὅρα ποῦ στάσῃ,
ποῖ δε βάσῃ,

Ascripsi hunc locum quemadmodum Aldus exhibuit, quocum codd., quod sciam, omnes consentiunt. Nihil est autem quod de sensu horum verborum moneam nisi hoc, recte mihi videri verba. ὄμμασιν δ' ἀντέχοις τάνδ' αἴγλαν, ἃ τέταται τανῦν, a Seidlero ita esse explanata: *coopertos tene oculos hoc ipso splendore, quo iam cooperiuntur*, i. e. nullo, tenebris. Buttmannus hanc explicationem improbat maxime propterea, quod verba extrema, ἃ τέταται τανῦν, necessario de luce diurna intelligi debeant. Quod secus mihi videtur. Certe multo sunt meo quidem iudicio significantiora, si referuntur ad Philoctetae statum, quam si de solis fulgore putantur dicta, qui cur nunc potissimum (τανῦν) dicatur diffusus esse, ne satis quidem intelligi potest. Recte autem Buttmannum verba: ὅρα, ποῦ στάσῃ, ποῖ δε βάσῃ interpretatum esse arbitror. Sed plane discedo ab huius viri sententia in iis, quae sequuntur:

πῶς δέ μοι
τἀντεῦθεν φροντίδος ὁρᾷς·
ἤδη πρὸς τί μενοῦμεν
πράσσειν· καιρός τοι πάντων
γνώμαν ἴσχων,
πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται.

Denuo Aldi scripturam repraesentavi. Graviorem curationem adhibens Buttmannus vs. 835 sq. ita mutavit:

πῶς δέ μοι τἀν-
τεῦθε φροντίδος. οὖρος.
ἤδη πρός τι μενοῦμεν;
καιρός τοι etc.

ratus, tum sensu, tum metro hanc correctionem postulari. De metro deinde dicam, quod tantum abest, ut faveat ei, ut omnino adversetur. Nunc de sensu tantum quaeram, cui si doceri potest accommoda-

tum esse quod vulgo legitur, non opus esse puto, ut contra virum praestantissimum pluribus disputemus. Primum omnes editores a vero videntur aberrasse in explicandis verbis: πῶς δέ μοι τἀντεῦθεν φροντίδος. Interpretantur enim vocem τἀντεῦθεν ita: quae restant, quae supersunt agenda. Ea vero qualia sint, nemo monuit praeter Gedikium, qui sagittarum asportationem tecte a Choro indicari opinatur. Hanc autem Chori mentem esse non posse, vel me non monente facile elucet. Erant enim tela eius iam in potestate Neoptolemi, ob eamque caussam non Chori opus erat auxilio, ut asportarentur. Equidem nullus dubito, quin, quae propria videtur dictionis τὸ ἐντεῦθεν significatio, hic quoque obtineat. Denotatur autem ea *discessus*, *abitus*. Appono duos Herodoti locos, qui nostro sunt simillimi. Legitur Lib. I. c. 9. ἐπεὰν δὲ ἀπὸ τοῦ θρόνου στείχῃ ἐπὶ τὴν εὐνήν, κατὰ νώτου τε αὐτῆς γένῃ, σοὶ μελέτω τὸ ἐνθεῦτεν, ὅκως μή σε ὄψεται ἰόντα διὰ θυρέων. eodemque modo lib. I. c. 27. ὡς δὲ ἄρα οἱ ἐν τῇ Ἀσίῃ Ἕλληνες κατεστράφατο ἐς φόρου ἀπαγωγήν, τὸ ἐνθεῦτεν ἐπενόεε, νέας ποιησάμενος, ἐπιχειρέειν τοῖσι νησιώτῃσι. Differunt hi loci a Philocteteo tantum eo, quod articulus numero singulari voci ἐντεῦθεν praepositus est, quod tamen nihil meae sententiae officere quivis intelligit. Iam vero sponte apparet, rectissime antiquiores editores verbum ὁρᾷς antecedentibus adiunxisse, in eo tantum lapsos, quod ἤδη ad sequentia traxerunt. Verba iam ita cohaerent: πῶς δ' ἐμοὶ (sic enim rectius legitur propter oppositionem) τἀντεῦθεν φροντίδος, ὁρᾷς ἤδη. hoc sensu: *quomodo vero mihi abire curae sit, iam vides.* Atque perquam probabile est, Chorum, quum haec diceret, nutu et gestu significasse, se velle discedere. Quo ducunt etiam sequentia:

πρὸς τί μενοῦμεν πράσσειν;

quorum verborum aperte hic sensus est: cuius rei perficiendae caussa diutius manebimus, vel, quid restat agendum, cur diutius maneamus? Vult enim Chorus, ut clanculum Philoctetam secum abeat Neoptolemus: quod tum his ipsis verbis declaratur, tum Neoptolemi interpellatione, monentis:

ἀλλ' ὅδε μὲν κλύει οὐδέν· ἐγὼ δ' ὁρῶ, οὕνεκα θήραν
τήνδ' ἁλίως ἔχομεν τόξων, δίχα τοῦδε πλέοντες.
τοῦδε γὰρ ὁ στέφανος, τοῦτον θεὸς εἶπε κομίζειν.
κομπεῖν δ' ἔστ' ἀτελῆ σὺν ψεύδεσιν αἰσχρὸν ὄνειδος.

In quibus verbis nihil est difficultatis. Versu quarto hoc tantum velim lector observet, verbum κομπεῖν dictum esse respectu habito Chori, qui modo Neoptolemo gloriatus videretur, rem ad finem perductam fore, ubi cum telis Philoctetae aufugissent. Tum Neoptolemo ita respondet Chorus cantu antistrophico:

ἀλλὰ τέκνον, τάδε μὲν θεὸς ὄψεται· ὧν δ' ἂν ἀμείβῃ
μ' αὖθις, βαιάν μοι
βαιὰν ὦ τέκνον
πέμπε λόγων φήμαν·
ὡς πάντων ἐν νόσῳ εὐδρακὴς
ὕπνος ἄϋπνος λεύσσειν.
ἀλλ' ὅτι δύναιο μάκιστον,
κεῖνό μοι κεῖνο λάθρᾳ
ἐξιδοῦ ὅτι πράξεις·
οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι·
εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν
ἴσχεις, μάλα τοι
ἄπορα πυκνοῖσιν ἐνιδεῖν πάθη.

Hunc quoque locum accuratissime ex editione Aldi descriptum dedi. Est autem haec carminis pars adeo obscura, et, ut videtur, corrupta, ut minime debeat mirationem facere, quod tam diversae huius loci explicationes prostant. Ac primum quidem si

quaeritur, quid potissimum hoc cantu Chorus efficere voluerit, non possum, quin omnes interpretes errasse dicam, qui Chorum mutata sententia eo nunc inclinare putaverunt, ut ipsum Philoctetam abducendum suadeat. Cui opinioni etsi primo obtutu ea videntur favere, quae leguntur in epodo scripta, tamen neque haec revera favent, et adversantur singulae fere antistrophae enuntiationes. Statim initium:

ἀλλὰ τέκνον, τάδε μὲν θεὸς ὄψεται·

non obscure indicat, Chorum in ea, quam ante enuntiarat, sententia perseverare. Inchoat enim orationem particula ἀλλά, quae facit, ut denuo eum Neoptolemo oblocuturum existimemus. Deinde verba τάδε μὲν θεὸς ὄψεται, quae silentio transierunt plerique editores, necessario ita explicari debent: at haec quidem, quae mihi obiicis, fili, deus viderit: id est, quae tu censes nondum absoluta esse (ut Philocteta abducto Troia capi possit), haec tu noli curare, sed deo relinquas curanda. — Versu secundo antistrophae Buttmannus auctore Triclinio post ἀμείβῃ pronomen σύ intulit, quod mihi quidem sensui parum videtur convenire. Nam quum pronomen illud ibi tantum addi soleat, ubi distincte duae sibi opponuntur personae, adduceretur lector, ut, dei nomen quum praecesserit, sensum putaret esse: quae vero tu, neque deus, mihi respondebis, etc. Quod tamen alienum esse ab huius loci ratione, in aperto est. — Vss. 3—6. recte iam Scholiastes explicuit. Sed impeditissima sunt, quae sequuntur:

ἀλλ' ὅτι δύναιο μάκιστον
κεῖνό μοι κεῖνο λάθρᾳ
ἐξιδοῦ, ὅ τι πράξεις.

Ac profecto mirari subit, quomodo Brunckius aliique editores verba λάθρᾳ ἐξιδοῦ nulla vitii suspicione coniungere potuerint. Nam quum id, quod quis dispi-

ciat vel deliberet, eiusmodi sit, quod plane non possit aliter fieri, quam ita, ut non intelligat alius, equidem adverbium λάθρα non inutile tantum, sed omnino absurdum additamentum iudico. Itaque Sophoclem certissime credo hanc vocem cum alio verbo iunxisse, quod a librariis vel obscuratum sit vel omissum. Fortassis alterum κεῖνο cum Hermanno (Elem. doctr. metr. p. 271.) in κείνου mutandum: prius enim quominus corrigamus, metra versus strophici videntur impedimento esse. Praeterea vero aliud verbum vs. 8. excidisse arbitror, ita ut hic et antecedens versus aliquam sententiam continuerint, quae per se absoluta neque coniuncta fuerit cum versu sequente. Certe vs. 8. admodum mancum esse, aperte docet metrum, de quo deinde dicetur. Qualis tamen fuerit ista sententia, nondum licuit mihi coniectando assequi. Indagabunt fortassis alii me sagaciores. Versum nonum:

ἐξιδοῦ, ὅ τι πράξεις

fere eundem puto sensum habere, quo in stropha dicta vidimus:

ὦ τέκνον, ὅρα ποῦ στάσῃ,
ποῖ δὲ βάσῃ·

Cohaeret autem mea sententia cum sequentibus:

οἶσθα γὰρ ὃν αὐδῶμαι,
εἰ ταυτὰν τούτῳ γνώμαν
ἴσχεις,

Idem iam Buttmannus statuit, a quo tamen vehementer dissentio in explicandis verbis: οἶσθα γὰρ — ἴσχεις. Putat enim cum reliquis editoribus omnibus, Ulyssem hic a Choro significari, et sensum loci hunc esse: si cum illo, scis quem dicam, idem sentis, Philoctetam ad Troiam esse deducendum. — Primum nego ac pernego, de Ulysse hic sermonem esse posse. Cuius quum in antecedentibus ne verbo qui-

dem mentio facta esset, qui tandem Chorus illum significaturus dicere poterat: scis de quo loquar? Nemo profecto auditorum, nisi admonitus, de Ulysse cogitare hic poterat, sed debebant necessario nunc aliquem a Choro denotari putare, de quo in praecedentibus cum Neoptolemo sermones contulisset. Accedit, quod ne idonea quidem caussa excogitari potest, cur Ulysses nunc commemoretur. Nam si volebat Chorus, quod putant editores, tecte significare: si Troiam deducere vis Philoctetam, multo aptius et convenientius dicere poterat: si cum deo idem sentis. Huius enim auctoritate modo Neoptolemus monuit, debere eum abduci. Non magis credibile est, Philoctetam a Choro respici: in qua re quum mecum consentientes habeam editores omnes, non necesse est, ut, cur incredibile sit, exponam. Iam vero nihil relinquitur, quam ut scribamus, quod codex Harleianus praebet:

οἶσθα γὰρ ὧν αὐδῶμαι

quae scriptura, nisi fallor, etiam Hermanno nuper est probata. Idem vir summus in sequentibus ταύταν pro ταὐτὰν scribendum putavit, quod mihi quoque unice verum videtur. Sed ipse aliam praeterea mutationem requiri existimo, scilicet hanc:

εἰ ταύταν τούτων γνώμαν ἴσχεις.

Qua recepta sensus loci hic est: vide, quid facturus sis, si hac de re, scis enim quam dicam, hanc habes sententiam. Quid sit, quod intelligi vult Chorus, facile patet. Loquitur enim, ut vidimus, de abeundo, urgetque Neoptolemum, ut clam Philocteta discedat. Itaque enucleatius si verba illa explicantur, hunc sensum praebebunt: vide, quid tibi agendum sit, si tibi persuasimus, relicto Philocteta esse abeundum, id est, statim discedere debes, si nobiscum consentis, relinquendum eum esse.

Verba, quae sequuntur:

μάλα τοι ἄπορα πυκνοῖσιν ἐνιδεῖν πάθη.

rectissime Buttmannus vidit, non cohaerere cum antecedentibus, sed novam per se sententiam continere, quod vel sola τοὶ particula indicet. Addi poterat, apte etiam antistropham sermone sententioso finiri, quum idem in stropha et epodo factum sit. Quam vero huius loci explicandi viam iniit vir doctissimus, eam non magis probare possum, quam reliquorum editorum interpretationes. Illud tamen recte factum arbitror, quod ἐνιδεῖν mutavit in ἰδεῖν, quae coniectura mihi quoque dudum in mentem venerat. Caeterum loci sensum hunc esse statuit: nam perdifficile est sanae mentis homini, miserias intueri. Quae monuisse Chorum metuentem, ne Neoptolemus commotiones animi Philoctetae non sustinens consilium Ulyssis ad finem non perducat. — Primum magnopere dubito, an non aptum sit hoc quidem sensu verbum πυκινός. Certe Lexicographis si fides haberi potest et Scholiastis, πυκινοὶ tantum ii nominantur, qui ea sunt mentis facultate praediti, quam prudentiam appellamus. Prudentem autem nego apte dici, hominum miseriis maxime commoveri. Hoc enim proprium iis est, quorum animus facile misericordia tenetur, neque vero qui prudentes habentur. Quapropter persuasum mihi est, poetam aliud verbum positurum fuisse, si id, quod Buttmannus censet, dicere voluisset. Deinde vero tota illa sententia mihi quidem a loci nexu valde aliena videtur. Non enim propterea Neoptolemus Chori voluntati, abire cupientis, obsecundare noluit, quod infelicis Philoctetae miserebatur, sed quod oraculo, quod ipsum abduci iusserat, obediendum putabat. Neque tamen intelligo, quomodo talis ex his verbis sensus erui possit, qui orationis nexui conveniat.

Nam quae voces πυκινοῖς et πάθη maxime torserunt interpretes, mihi quoque semper offensioni fuerunt. Itaque invitus adducor, ut hunc locum depravatum esse suspicer. Cui suspicioni primum favet metrum versus strophici:

πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται,

Omnes editores versum strophicum mancum esse existimarunt, quibus equidem non possum assentiri. Adeo enim integra eius est sententia, nihil ut addi possit, quod vim quandam habeat. Contra in versum antistrophicum aliquid aliunde irrepsisse, externa etiam assunt indicia. Scholiastam enim non legisse vocem πάθη, ex annotatione eius luculentissime videtur prodire. Ad verba: ἄπορα πυκϊνοῖσιν (sic enim rectius in Scholiis Iuntt. scriptum legitur, quam πυκνοῖσιν, quod ex edit. Rom. Schol. Erfurdtius dedit) scripsit: ἄπορόν ἐστιν καὶ τοῖς συνετοῖς ἰδεῖν τὸ πρακτέον. λείπει οὖν ὁ καί. γράφεται πυκνοῖσιν, ἵν' ᾖ, ἐν πράγμασι πυκνοῖς. (sic) συνιδεῖν τὸ πρακτέον, ἄπορον. Neque verbale τὸ πρακτέον vocis πάθη explicatio potest esse, neque ullo modo probabile est, Scholiastam vocem illam si legisset non interpretaturum fuisse. Ut paucis defungar, puto equidem tale quid a poeta scriptum fuisse:

μάλα τοι ἄπορα πυκίν' εἰσιδεῖν.

aut:

μάλα τοι ἄπορα πυκίν' ἐστ' ἰδεῖν.

hoc fere sensu: admodum difficile sane est, prudentem invenire agendi rationem. Quibus verbis Chorus obscure adhortatur cunctantem Neoptolemum, ut ne tandem, quod minus opportunum sit, eligat, omnemque rem perdat. Vocem πάθη ab eo esse additam credibile est, qui postquam πυκινεισιδειν depravatum esset in πυκινοῖσιν ἰδεῖν, aliquid deesse existimaret, quod ad ἰδεῖν pertineret. Caeterum

vide, quantam a metro etiam haec mutatio commendationem habeat:

πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται.
μάλα τοι ἄπορα πυκίν' εἰσιδεῖν.

Sed iudicent doctiores. — Reliquum est, ut exponam de numerorum genere, quibus carmen, de quo adhuc disputavimus, compositum sit. In quam rem etsi nuper etiam Buttmannus inquisivit, plura tamen supersunt, in quibus a viri doctissimi iudicio discedendum videatur. Assentior ei in dispositione verss. 1. 3. 5. et 6.

ὕπν' ὀδύνας ἀδαὴς, ὕπνε δ' ἀλγέων 1
εὐαίων, εὐαίων ἄναξ. 3
τάνδ' αἴγλαν, ἃ τέταται τανῦν 5
ἴθι, ἴθι μοι παιών. 6

quorum tertium et quintum pro dochmiacis habeo, quibus molossi praepositi sint. De reliquis aliter statuo. Monitum est paullo ante, non aptum videri pronomen σύ, quod vs. 2. antistroph. ex Triclinii recensione ascitum est:

ὧν δ' ἂν ἀμείβῃ σύ μ' αὖθις.

Neque vero metrum isto fulcro satis congruens fit cum versu strophico:

εὐαὴς ἡμῖν ἔλθοις.

Leviter potius corruptam puto scripturam versus stroph., in quo si, quod Hermanno mihique placuit, reposueris εὐαές, optime metra sibi respondebunt. Nam etsi secunda vocis εὐαές syllaba proprie videtur longa esse, non obstat tamen, quominus in melico carmine recte corripi possit. Sic ἴλαος, cuius eadem est mensura, aliaque multa correpta antepenultima nonnunquam usurpata reperiuntur. Cfr. Seidlerus de Verss. Dochmm. p. 100 sq. Obiter tamen moneo, Rhesi fab. vs. 713., si dochmius esse debet:

κρυφαῖος ἐν πέπλοις.

ita videri corrigendum esse:

κρύφιος ἐν πέπλοις.

Versu 7. stroph. Buttmannus cum Brunckio post ὅρα particulam γὲ Triclinii auctoritate addidit, magis, puto, metro quam sensui prospiciens. Simpliciter adhortatur Chorus Neoptolemum, ut videat, quid agendum sit, ob eamque caussam γὲ particulam alienam iudico. Contra, vs. antistrophico optativum δύναιο sensus caussa cum Elmsleio in indicativum δύναι mutandum arbitror: quo facto metrum apprime sibi respondet. — Vss. 8. 9. et 10. supra vidimus Buttmannum ita scripsisse ac disposuisse:

ποῖ δὲ βάσει, πῶς δέ μοι τάν-
τεῦθε φροντίδος. οὖρος.
ἤδη πρός τι μενοῦμεν;

Cui mutationi non videtur metrum patrocinari. Primum ipsi numeri eiusmodi sunt, qui parum apte cum reliquis versibus concinant. Nunquam enim, quantum memini, versus pherecratei, quales forent vs. 9. et 10., inter antispastos locum habent. Deinde divisio vocabuli τάντεῦθεν hoc certe loco non caret offensione. Quamquam enim non sto a partibus virorum doctorum, qui vocabula in fine versuum frangi posse omnino negant, illud tamen etiam tenendum puto, non ubique id fieri posse, sed ibi tantum, ubi vel iidem vel cognati certe numeri sequuntur. Quod non cadit in hunc Philoctetae locum. Postremo maxime Buttmanni suspicioni hoc obstat, quod forma vs. 10. non eadem plane est, quam vs. antistrophico usurpatam cognovimus. E contrario vulgatam si retinemus scripturam, optime secum congruunt hi versus:

φροντίδος ὁρᾷς ἤδη. 9
πρὸς τί μενοῦμεν πράσσειν; 10

ἐξιδοῦ, ὅ τι πράξεις, 9
οἶσθα γὰρ ὧν αὐδῶμαι 10


Quae res facit, ut nulli coniecturae locum dari intelligamus. At versus 8. sane:

ποῖ δὲ βάσῃ, πῶς δ' ἐμοὶ τἀντεῦθεν

nullo modo respondet antistrophico:

κεῖνό μοι, κεῖνο λάθρᾳ

Sed in hoc posteriore plura excidisse, sensus ratio aperte demonstrat. Versus, qui postremi sunt, 11. 12. 13., malim cum Hermanno (Elem. doctr. metr. p. 272.) in duos, quam cum Buttmanno in tres dividere. Priorem spondaicis numeris, alterum cretico et dochmio constare duco. — Paucis praeterea agere placet de metri genere, cui vss. 2. 6. 7. 8. 9. 10. assignandi videantur, et novam de vs. 4. coniecturam proponere. Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 271 sq. versus istos, excepto 4., quem pro *dochmiaco* habet, iambicos ischiorrhogicos esse dicit. Disseruit de hoc numero p. 234., posuitque hanc eius formam:



Nolo ego nunc quae mihi omnino contra hoc versuum genus videntur moneri posse, expromere omnia, sed illud tantum ostendere conabor, eos versus, quorum haec est forma:



ex aliis quam iambicis numeris constare. Quae sententia mea hoc primum nititur argumento, quod istiusmodi versus, si recitantur uti iambici debent, talem habent incessum, qui non potest non admodum fractus et asper videri. Quod ut intelligas,

ascribam huius carminis versus, qui sunt pro ischiorrhogicis habiti, appositis simul ictuum apicibus:

εὐαες | ἡμιν | ἐλθοις·
ἰθι ἰ | θι μοι | παιων.
φροντιδος | ὁρας | ἠδη.
προς τι με | νουμεν | πρασσειν.
ὥν δ' αν ἁ | μειβῃ μ' | αὐθις
ὑπνος ἀ | υπνος | λευσσειν
ἐξιδου | ὁ τι | πραξεις
οἰσθα γαρ | ὧν αν | δωμαι.

Porro ne huiuscemodi versus iambicis accenseamus, hoc videtur prohibere, quod, quoties antistrophici sunt, haec observata regula deprehenditur, ut, si primus pes versus strophici dactylo vel tribracho constet, idem in antistrophico factum sit. Cfr. 'praeter huius carminis versus Soph. Electr. vss. 156. 157. coll. 174. 175.

ὄλβιος, ὃν ἁ κλεινὰ
γᾶ ποτὲ Μυκηναίων.

—

οὔτε γὰρ ὁ τὰν Κρίσαν
βούνομον ἔχων ἀκτάν.

Sophoclis Trachin. vss. 824. 825. coll. 834. 835.

ἔμπεδα κατουρίζει.
πῶς γὰρ ἂν ὁ μὴ λεύσσων.

—

φάσματι; μελαγχαίτα δ'
ἄμμιγά νιν αἰκίζει.

Carmen, quod legitur in Sophoclis Electr. vss. 504 —515. ed. Brunck. nemo facile cum sententia mea

pugnare dicat. Quod sane si antistrophicum revera esset, quod olim putavit Hermannus, pugnaret, sed quum epodum esse vel propterea probabilius sit, quod nulla inter stropham et antistropham orationis pausa intercedat, nullum ex eo duci argumentum potest, quo contra me utaris.

Postremo non temere hoc quoque in rem meam licet proferre, quod nonnunquam primum horum versuum pedem eiusmodi verbum occupat, cuius secunda syllaba proprie longa est. Cfr. huius carminis, de quo agitur, vs. 2. strophicum. Quodsi iambici essent isti versus, magnam hoc haberet offensionem, siquidem longa vocalis vel diphthongus nonnisi in thesi posita corripi solet. His aliisque rationibus in eam sum adductus sententiam, ut antispastum in hoc versuum genere dominari putem, cui nunc dactylus, nunc spondeus, nunc trochaeus praepositus sit. Itaque vss. 2. 9. et 10. e dactylo et antispasto, vs. 6. autem ex trochaeo et antispasto constabunt. Postremum numerum praeterea duobus huius carminis locis a poeta usurpatum fuisse suspicor. Versum enim, qui est octavus:

ποῖ δὲ βάσῃ· πῶς δ' ἐμοὶ τἀντεῦθεν

quum pluribus de caussis improbabile sit quinque trochaeis compositum esse, quod quis opinari possit, equidem potius eundem atque vs. 6., sed uno antispasto auctum iudico.

Deinde magnopere vereor, ne versus 4. antiquitus eiusdem plane fuerit metri atque vs. 6. Editiones Aldi et Iuntae nec non Brubachianae omnes exhibent:

ὄμμασιν δ' ἀντέχοις

Brunckii codices quid exhibuerint, latet: nihil enim ipse de scripturae diversitate annotavit. Iam si, quod sexcenties ab librariis correctum constat, ἀντίσχοις restitueris pro vulgato ἀντέχοις, vide quaeso,

quanta existat numerorum concinnitas. Nam ut vs. 3. quodammodo respondet vs. 5., ita cum quarto bene iam congruit vs. 6. Licet autem animadvertere, studiose hoc a tragicis factum esse, ut, ubi duos eiusdem metri versus interiecto alio usurpent, plerumque quartus ei, qui interiectus est, respondeat. Afferam pauca de multis exempla. Soph. Electr. vss. 482 — 485.:

οὐ γάρ ποτ' ἀμναστεῖ γ' ὁ φύσας
Ἑλλάνων ἄναξ,
οὐδ' ἁ παλαιὰ χαλκόπλακτος
ἀμφήκης γένυς.

quorum antistrophici sunt vss. 498 — 501. Oedip. Tyr. vss. 463 — 466.:

τίς, ὅντιν' ἁ θεσπιέπεια
Δελφὶς εἶπε πέτρα
ἄῤῥητ' ἀῤῥήτων τελέσαντα
φοινίαισι χερσίν;

Ibid. vss. 483 — 486.:

δεινὰ μὲν οὖν, δεινὰ ταράσσει
σοφὸς οἰωνοθέτας,
οὔτε δοκοῦντ', οὔτ' ἀποφάσκονθ'
ὅ τι λέξω δ', ἀπορῶ.

Denique ibid. vss. 885 — 888.:

Δίκας ἀφόβητος, οὐδὲ
δαιμόνων ἕδη σέβων,
κακά νιν ἕλοιτο μοῖρα,
δυσπότμου χάριν χλιδᾶς.

Caeterum cave putes, correctionem, quam vs. 4. str. faciendam suasi, reprobari versu antistrophico:

πέμπε λόγων φήμαν.

quippe in quo prima antispasti syllaba brevis sit. Poterat poeta idem facere in strophico, sed, si quid video, consulto non fecit, ut ne Chorus versum ut dochmiacum legeret. In antistropha vero non

opus erat, ut denuo admoneretur. Compares velim usitatissimum versum antispasticum, cuius hoc est metrum:

⏒ ′– ′– ⏒ | ⏑ ′– ⏑ – ⏑
  ⏖ ⏖ |

qui saepissime cum logaoedico confundi posset, nisi antistrophicus admoneret, ut apud Aesch. Pers. 288.:

ἔκτισαν εὔνιδας ἠδ' ἀνάνδρους.

cui respondet vs. 282.:

ἔθεσαν αἲ αἲ στρατοῦ φθαρέντος.

Alia multa huiusmodi exempla attulit Seidlerus de Vss. Dochm. p. 28 sq.

Postremo versum 7.:

ὦ τέκνον, ὅρα ποῦ στάσῃ

non iambicum dimetrum catalecticum esse, sed similiter ut vs. 6. ex dipodia iambica catalectica et antispasto constare arbitror. — Universum igitur carmen ita fere se habeat.

στροφή.

Ὕπν' ὀδύνας ἀδαής, Ὕπνε δ' ἀλγέων
εὐαὲς ἡμῖν ἔλθοις,
εὐαίων, εὐαίων ἄναξ,
ὄμμασιν δ' ἀντίσχοις
τάνδ' αἴγλαν, ἃ τέταται τανῦν.
ἴθι, ἴθι μοι παιών.
ὦ τέκνον, ὅρα ποῦ στάσῃ,
ποῖ δὲ βάσῃ· πῶς δ' ἐμοὶ τἀντεῦθεν
φροντίδος, ὁρᾷς ἤδη.
πρὸς τί μενοῦμεν πράσσειν;
καιρός τοι πάντων γνώμαν ἴσχων
πολὺ παρὰ πόδα κράτος ἄρνυται.

ἀντιστροφή.

ἀλλά, τέκνον, τάδε μὲν θεὸς ὄψεται·
ὧν δ' ἂν ἀμείβῃ μ' αὖθις,
βαιάν μοι, βαιάν, ὦ τέκνον,
πέμπε λόγων φήμαν·
ὡς πάντων ἐν νόσῳ εὐδρακὴς
ὕπνος ἄϋπνος λεύσσειν.
ἀλλ' ὅτι δύναι μάκιστον
κεῖνό μοι .... κείνου λάθρα.
ἐξιδοῦ, ὅ τι πράξεις,
οἶσθα γὰρ ὧν αὐδῶμαι,
εἰ ταύταν τούτων γνώμαν ἴσχεις.
μάλα τοι ἄπορα πυκιν' εἰσιδεῖν.

Progredior ad epodum, quam Aldus ita scriptam et dispositam dedit:

οὖρός τοι τέκνον οὖρος ἀνὴρ
δ' ἀνόμματος οὐδ' ἔχων ἀρωγὰν
ἐκτέταται νύχιος.
ἀλεὴς ὕπνος ἐσθλός.
οὐ χερὸς, οὐ ποδὸς, οὔ τινος ἄρχων.
ἀλλ' ὥς τις ἀΐδᾳ παρακείμενος,
ὁρᾷ. βλέπει. καίρια φθέγγει.
τὸ δ' ἁλώσιμον ἐμᾷ φροντίδι παῖ,
πόνος ὁ μὴ φοβῶν, κράτιστος.

Habet hic quoque locus magnas quasdam difficultates, quarum eas, quae ad rem metricam pertinent, postremo loco studebo removere. Universum huius carminis sensum quod attinet, supra iam professus sum, me plane dissentire ab editoribus, qui Chorum arbitrantur Neoptolemo suadere, ut dormientem Philoctetam in navem asportari iubeat. Nihil eum agere, nisi ut Neoptolemum doceat, quam opportunum nunc sit, clam Philocteta discedere, cum an-

tistrophicum carmen, de quo dictum est, tum singula huius cantus verba mihi quidem manifesto videntur declarare. Momentum autem faciunt, nisi egregie fallor, prima statim verba: *ἀνὴρ δ' ἀνόμματος—ἐκτέταται νύχιος.* Nam quomodo tandem e re Chori esse dici poterat, si volebat Philoctetam abducere, quod nihil ille videret, quum simulatque prehenderetur, fieri non posset, quin expergefactus oculorum usum recuperaret? Nec diversa ratio est sequentium: *οὐ χερὸς, οὐ ποδὸς, οὔ τινος ἄρχων, ἀλλ' ὥς τις Ἀΐδᾳ παρακείμενος,* quae sic tantum apte commemorare Chorus poterat, si non animadvertente Philocteta cum armis eius aufugere, neque vero si ipsum abducere volebat. Tum enim profecto et manuum et pedum et cuiusvis membri potens fieri debebat, maxime ex ipsius Chori sententia, qui modo Neoptolemum hortatus est, summissa ut voce utatur in colloquio, ne dormiens Philoctetes expergefiat, quoniam aegrotantes omnium facillime e somno excitentur. — Caeterum haec ipsa verba, quae modo apposui, non recte ab editoribus inter se coniuncta sunt. Perperam enim post *νύχιος* et *ἄρχων* maior collocata est interpunctio. Verba sine dubio ita cohaerent: *ὁ ἀνὴρ δὲ ἐκτέταται ἀνόμματος, οὐδ' ἔχων ἀρωγάν, οὐ χερὸς, οὐ ποδὸς, οὔ τινος ἄρχων, ἀλλ' ὥς τις Ἀΐδα παρακείμενος.* A verbo *ἐκτέταται* pendent *οὐδ' ἔχων, ἄρχων,* et *παρακείμενος.* Enuntiatio *ἀλεὴς ὕπνος ἐσθλός* parenthetice interiecta est, ut recte iam observatum est a Buttmanno. Post *παρακείμενος* autem punctum ponendum est. Neque enim Brunckio astipulari possum, qui in sequentibus pro *ὁρᾷ* substituens *ὁρᾷς* reliqua verba sic coniungit: *ἀλλ' ὥς τις Ἀΐδᾳ παρακείμενος, ὁρᾷς, βλέπει·* hoc sensu: sed moribundi vultum habet, ut vides. Primum sententia ipsa parum huic loco convenit. Qualem enim

vultum habeat Philoctetes, minime nunc Chorus curat, qui tantum in eo esse statu illum ostendere studet, ut absque periculo discedi possit. Multo magis autem Brunckii coniecturae nos diffidere iubet inopportunum illud ὁρᾷς, quod non solum per se otiose additum est, sed etiam eo loco collocatum, ubi lectori non potest non molestissimum esse. Partem veri procul dubio vidit Wakefieldius, qui, quod metro etiam, ut deinde apparebit, unice aptum est, ὅρα, βλέπε scribendum suasit, in eo tantum, ut arbitror, a vero deflectens, quod haec verba integram enuntiationem facere statuit. Quod multis de caussis fieri nequit. Aptissima prodibit sententia, ubi haec mecum coniunxeris: ὅρα, βλέπε καίρια, *ecce, animadverte opportunitatem* (discedendi). Vox, quae sequitur, φθέγγει quin corrupta sit, controversia esse non potest. Sed Brunckium poetae manum restituisse scribendo φθέγγου, nullo pacto mihi persuadere possum. Primum hoc quivis mihi facile concedet, non posse hunc imperativum, ut Brunckius fecit, cum verbo καίρια copulari. Verba enim quae coniunxi, ὅρα, βλέπε καίρια, tam aptum et elegantem sensum praebent, ut qui denuo divellat, confidam fore neminem. Contra locutio καίρια φθέγγου parum in hunc locum quadrat. Solum hoc operam dat Chorus, ut ostendat Neoptolemo, abeundum esse. Neque vero φθέγγου per se commode poni potuit. Itaque necesse est, aliud quid a poeta scriptum fuisse, quod quale sit, indicabunt sequentia: τὸ δ' ἁλώσιμον. Quibus verbis Chorum non posse significare, sibi curae esse, ut capiatur, asportetur Philoctetes, satis superque demonstratum est. Neque satisfacit aliorum editorum, ut Buttmanni, interpretatio, qui hunc subesse censum statuit: ego mea sollertia exsequar consilia, quae tu ceperis. Mirum

profecto foret, si Chorus tam ambiguum verbum ἁλώσιμον, quod neminem non adducere debebat, ut de capiendo Philocteta cogitaret, in hunc sensum adhibuisset. Unde hoc certo colligo, debere aliquid praecessisse, quo cautum erat, ne perperam intelligerentur haec Chori verba. Iam vide mihi, quam egregia existat sententia, si scribimus:

ὅρα, βλέπε καίρια· φεύγει· τόδ' ἁλώσιμον·

*ecce, animadverte occasionem: fugit: **hoc** est, quod capiundum est.* Neoptolemo, ut satis constat, persuasum erat, ipsum Philoctetam capiendum esse: contra quem Chorus satis facete monet, non hunc esse id, quod sit ἁλώσιμον, sed Occasionem, quae cito elabatur. — Est autem haec, quam ex verbo φθέγγει elicui, scriptura φεύγει meo quidem iudicio adeo sententiarum nexui accommodata, ut argumentis palaeographicis, quibus magis etiam confirmetur, abstinere possimus. Ne tamen deesse videar, qui hoc argumentorum genere tantopere delectantur, moneo, verbum φεύγειν etiam in Hom. hymno in Mercur. vs. 483. a librariis nonnullis cum φθέγγειν perperam confusum esse. — Verba postrema: ἐμᾷ φροντίδι, παῖ, πόνος ὁ μὴ φοβῶν κράτιστος, facile iam patet, in hunc esse sensum dicta: ubi mihi quid curandum est (εἰ ἐμοὶ περί τινος φροντιστέον ἐστί) eam laboris perficiendi rationem praestare duco, quae periculo caret. Quo denuo Chorus aperte indicat, clam Philocteta abeundum esse.

Restat, ut dicam, quibus numeris mihi haec epodus antiquitus fuisse scripta videatur. Ex vulgata enim distributione singuli fere versus ita sibi sunt dissimiles et dissoni, ut dubitari non possit, quin pristinus ordo a librariis sit corruptus. Contra elegantissimis numeris tota epodus decurret, si in hunc modum mecum singulos versus disponis:

οὖρός τοι, τέκνον, οὖρος·
ἀνὴρ δ' ἀνόμματος, οὐδ' ἔχων
ἀρωγάν, ἐκτέταται νύχιος,
(ἀλεὴς ὕπνος ἐσθλός)
οὐ χερὸς, οὐ ποδὸς, οὔ τινος ἄρχων,
ἀλλά τις ὡς Ἀΐδᾳ παρακείμενος.
ὅρα, βλέπε καίρια·
φεύγει· τόδ' ἁλώσιμον·
ἐμᾷ φροντίδι, παῖ, πόνος
ὁ μὴ φοβῶν κράτιστος.

Vs. 1. pherecrateus est, vss. 2. et 3. glyconei, ab initio una syllaba aucti. Quartus, nisi fallor, eodem atque 1. metro constat. Nam etsi nomen ἀλέη, unde adiectivum ἀλεής formatum videtur, apud Homerum Od. ϱ, 23. correpta antepenultima occurrit, nondum tamen certo pronuntiari potest, omnino brevem istam syllabam esse, quum Hesiodus Opp. et D. vs. 493. dixerit:

πὰρ δ' ἴθι χαλκεῖον θῶκον καὶ ἐπαλέα λέσχην.

Vss. 5. et 6. dactylici sunt, qui saepe glyconeis admiscentur, ut hac ipsa fab. vs. 1130. et 1133. In posteriore nemo dubitabit, quin apte transposuerim verba ὥς τις. — Vss. 7. et 8. denuo glyconei sunt pro basi anacrusin habentes, v. 9. purus glyconeus, et postremus dimeter iambicus catalecticus, qui saepissime finem carminis facere solet, ut infr. vs. 1115. Noli autem dispositionem vss. 7. 8. 9. propterea in dubium vocare, quod in brevem syllabam exeunt. Non raro enim tragici, in iisque, ut videtur, maxime Sophocles brevi syllaba glyconeos terminant, vel, quod eodem fere redit, tali, ut hiatus oriatur. Ita in hac fab. vs. 184.:

στικτῶν ἢ λασίων μετὰ
θηρῶν· ἔν τ' ὀδύναις ὁμοῦ.

quibus respondent vss. 173. 174.:

νοσεῖ μὲν νόσον ἀγρίαν,
ἀλύει δ' ἐπὶ παντί τῳ.

porro vs. 1104.:

ὅς ἤ-
δη μετ' οὐδενὸς ὕστερον
ἀνδρῶν εἰσοπίσω τάλας.

stroph.

οὐκ ἔμελλον ἄρ', ὦ τάλας,
λείψειν οὐδέποτ', ἀλλά μοι.

porro vs. 1127.:

τὰν οὐδείς ποτ' ἐβάστασεν.
ὦ τόξον φίλον, ὦ φίλων.

coll. vss. 1150. 1151. Adde Sophoclis Aiac. vs. 596. ed. Herm.

παλαιὸς ἀφ' οὗ χρόνος
'Ιδαῖα μίμνω etc.

collat. vss. 606. 607. — Ibid. vs. 690.:

ὁ Δάλιος, εὔγνωστος
ἐμοὶ ξυνείης διὰ παντὸς εὔφρων.

coll. vss. 704 sq. — Ibid. vs. 1168.:

ἄταν ἐπάγων ἀνὰ
τὰν εὐρώδη Τροίαν.

quibus oppositi sunt vss. 1175 sq.:

Ἕλλα-
σι κοινὸν Ἄρην· ἰὼ
πόνοι πρόγονοι πόνων·

Sophoclis Antig. vs. 119.:

λόγχαις ἑπτάπυλον στόμα
ἔβα, πρίν ποθ' ἁμετέρων.

coll. vss. 102. 103. — Porro huc videntur pertinere Euripidis Suppl. vs. 968. ed. Matth.:

γηράσκω δυστηνότατος,
οὔτ' ἐν τοῖς φθιμένοις.

collat. vss. 960 sq. — Eiusdem Helen. vs. 1302:
μάτηρ θεῶν ἐσύθη
ὑλάεντα νάπη.
quibus respondent vss. 1320. 1321.:
μάτηρ ἔπαυσε πόνων,
μαστεύουσ' ἀπόρους.
Ibid. 1316.:
ἐν ἔγχει Γοργὼ πάνοπλος·
αὐγάζων δ' ἐξ οὐρανίων.
coll. vss. 1334 sq. — Ibid. vs. 1241.:
βᾶτε, σεμναὶ Χάριτες,
ἴτε, τὰν περὶ παρθένῳ.
antistroph.:
οὐ σεβίζουσα θεοῖς.
μέγα τοι δύναται νεβρῶν.
Ibid. vs. 1480.:
οἰωνοὶ στολάδες
ὄμβρον λείπουσαι χειμέριον.
coll. vss. 1497 sq. — Postremo Herc. fur. vs. 675.:
παιᾶνα μὲν Δηλιάδες
ὕμνουσ', ἀμφὶ πύλας τὸν.
coll. vs. 661. 662. — Ibid. 677.:
Λατοῦς εὔπαιδα γόνον
εἱλίσσουσαι καλλίχορον.
coll. vss. 663 sq. — His exemplis ea addi possunt, quae Seidlerus attulit ad Euripidis Electr. vs. 153. et 207. Ascripsi autem haec propterea, quia saepius a viris doctis vidi eiusmodi locos tentatos esse.

Vss. 877 — 881.

Καὶ νῦν, ἐπειδὴ τοῦδε τοῦ κακοῦ δοκεῖ
λήθη τις εἶναι κἀνάπαυλα δή, τέκνον,
σύ μ' αὐτὸς ἆρον, σύ με κατάστησον, τέκνον,
ἵν' ἡνίκ' ἂν κόπος μ' ἀπαλλάξῃ ποτέ,
ὁρμώμεθ' ἐς ναῦν, μηδ' ἐπίσχωμεν τὸ πλεῖν.

Ad vs. 880. memorat Scholiastes aliam lectionem: κόπου ἀπαλαχθῶμεν, quam in κόπου γ' ἀπαλλαχθῶ mutatam Britannus quidam in Classical Journal I. p. 838., cui assentitur Buttmannus, pro genuina lectione habet. Vereor, ut iure. Mihi certe neque γὲ particula videtur apta esse, neque ullam probabilitatis speciem habere, vulgarem et consuetam dictionem, qualis est ἀπαλλάττομαι κόπου (κακῶν, νόσου al.), quemquam ita interpretaturum fuisse: ἀπαλλάττει με κόπος, quod est rarissimum locutionis genus et fortassis a Sophocle tantum usurpatum. Itaque multo est vero similius, scripturam, a Scholiasta memoratam, vulgatae lectionis interpretamentum esse.

Vss. 1031 — 1033.

Πῶς, ὦ θεοῖς ἔχθιστε, νῦν οὐκ εἰμί σοι
χωλός, δυσώδης; πῶς θεοῖς εὔξεσθ', ἐμοῦ
πλεύσαντος, αἴθειν ἱερα; πῶς σπένδειν ἔτι;

Ita vulgo legitur, sed, ut verissime Brunkius monuit, omnino inepte. Neque etiam liquet, quomodo infinitivus praesentis αἴθειν locum habere possit praecedente verbo εὔξεσθε, cui vovendi notio subesse deberet. Equidem unice verum iudico, quod Piersonus coniecit, ἔξεστ', quae scriptura, sensui accommodatissima, et simillimo loco vs. 8 sq.:

ὅτ' οὔτε λοιβῆς ἡμὶν, οὔτε θυμάτων
παρῆν ἑκήλοις προσθιγεῖν·

probatur, et Scholiastae interpretatione confirmatur. Buttmanno etsi minime displicuit haec Piersoni correctio, visum tamen est, melius scribi posse: ἔξεσθ' (pro ἔξεσται) ὁμοῦ πλεύσαντος. Quod probari vix poterit. Velim enim exemplum attulisset vir eruditissimus, in quo similiter participium non addito nomine genitivo casu positum reperiatur. Minus etiam ἔξεσται tolerare licet. Nam ut concedam, quam-

quam hoc vix concedo, Sophoclem in trimetro diphthongum *αι* elisisse, quod Euripidem quidem fecisse non plane improbabile est (cfr. Seidlerus ad Eurip. Troadd. vs. 661.), tamen hoc nunquam ita factum puto, ut sensus ambiguitas oriri posset, qualis hoc loco obtineret, ubi ἔξεστ' non potuisset a praesenti tempore discerni.

Versus 1095—1101. et qui his respondent vss. 1116—1122. etsi interpreti, qui verborum tantum sensum commentatur, vix quidquam obiicere possunt difficultatis, aliis tamen laborant incommodis, in quibus removendis editoris certe est operam collocare. Cernuntur illa quae dico incommoda in eo, quod non ita, uti debent, versus isti sibi respondent. Ita enim in antiquis Aldi et Iuntae editionibus scripti ac dispositi leguntur:

σ τ ρ ο φ ή.

σύ τοι σύ τοι κατηξίω -
σας ὦ βαρύποτμε.
οὐκ ἄλλοθεν ἔχη τύχα
τᾷδ' ἀπὸ μείζονος.
εὖτέ γε παρὸν φωνῆσαι
τοῦ λώονος δαίμονος, εἵ -
λου τὸ κάκιον ἑλεῖν.

ἀ ν τ ι σ τ ρ ο φ ή.

πότμος σε δαιμόνων τάδ' οὐ -
δὲ σέ γε δόλος ἔσχ' ὑπὸ
χειρὸς ἐμᾶς. στυγερὰν
ἔχε δύσποτμον
ἀρὰν ἀρὰν ἐπ' ἄλλοις.
καὶ γὰρ ἐμοὶ τοῦτο μέλει
μὴ φιλοτῆτ' ἀπώσῃ.

Utrumque locum, stropham et antistropham, qui attente perlegerit, necesse est animadverterit, priorem maxima ex parte numeris decurrere neque inconsuetis neque inelegantibus, contra in altero plures esse versus, qui quo metro constent, indicari vix possit. Itaque iam alii recte intellexerunt, non paucis antistropham corruptelis affectam esse, quarum quaedam feliciter ab Erfurdtio sublatae videntur, ut quod primo versu πότμος iteravit; vs. 2. ἔσχεν scripsit, et vs. 5. alterum ἀράν expunxit. Reliquas, quae ab eo factae sunt, mutationes non probo, quia numeri, qui inde prodierunt, parum videntur elegantes esse. Mihi in tali loco, qualis hic est, sic agendum videtur, ut, antequam de eo cogitemus, quomodo singuli versus antistrophae, quam depravatam esse intelleximus, cum strophicis conciliari possint, solius strophae numeros recte constituamus. Id puto propterea opus esse, quod saepe accidit, ut *seriores* Grammatici, quum animadvertissent, antistropham non respondere strophae, sic eam interpolarentur, ut aliquo certe modo cum stropha congrueret, numeri tamen non satis apte procederent. Atque hoc ego plane non dubito, quin in hoc ipso Philoctetae loco factum sit. Itaque ne Grammaticorum commentis in devia abducamur, videamus, quomodo stropha sic disponi possit, ut omni ex parte probos et elegantes numeros praebeat. Quod hac, puto, distributione consequemur:

σύ τοι, σύ τοι κατηξίωσας,
ὦ βαρύποτμε·
οὐκ ἄλλοθεν ἐνέχῃ τύχᾳ
τᾷδ ἀπὸδ᾽ μείζονος·
εὖτέ γε παρὸν φρονῆσαι,
τοῦ λώονος δαίμονος εἵλου τὸ κάκιον ἐλθεῖν.

Versui 3. lenissimam adhibui medelam, *ἐνέχῃ* pro vulgato *ἔχῃ* scribens. Cui correctioni, nisi fallor, etiam scholiastes patrocinatur, qui haec annotat: *σὺ σαυτῷ κατηξίωσας, καὶ οὐκ ἀπό τινος ταύτῃ τῇ τύχῃ ἐνέχῃ, ἢ (ἤγουν?) συνέχῃ ἀπὸ μείζονος σοῦ.* Phavorinus etiam p. 651. *ἐνέχεσθαι* interpretatur: *ἐγκαλεῖσθαι, ἐγκρατεῖσθαι, συνέχεσθαι.* Versu ultimo egregiam Gernhardi correctionem recepi, secutus Erfurdtium. Iam vero animadvertas velim, quam bene totum carmen procedat. Compositum est tribus partibus, quarum unaquaeque duobus versibus constat. Quavis parte etiam sententia quodammodo finitur. Primi quique cuiusvis partis versus iambici sunt, ita ut proximus quisque una syllaba brevior sit quam antecedens. Contra reliqui versus, qui sunt choriambici, accrescunt, dum iambici decrescunt. — Antistropham modo dixi admodum corruptam mihi videri partim librariorum negligentia, partim inopportuna Grammaticorum sedulitate. Neque vero adhuc succurrit, quomodo omnino probabiliter restitui possit. Uni tamen versui non male sic puto consuli posse, ut scribatur:

τὰν στυγερὰν ἔχε

qui cum sequente:

δύσποτμον ἀρὰν ἐπ' ἄλλοις.

apprime iam strophicis respondebit. Articulum *τὰν* videtur etiam Scholiastes agnoscere, quum dicit: *παῦσαι τῶν καταρῶν τούτων, ὦ Φιλοκτῆτα.* — Caeterum non satis recte, ut arbitror, ab editoribus verba *πότμος σε δαιμόνων τάδε* explicita sunt. Cogitant enim plerique de omisso *κατά*, quod fieri non posse, hodie omnes sciunt. Neque tamen cum Buttmanno mihi convenit, qui accusativum *τάδε* hic paullo liberius, ut in lyrico carmine, additum putat: *πότμος σε ἔσχε τάδε* h. s., ut haec fierent. Cui quidem ex-

plicationi alia mihi videtur praeferenda esse, quae longe simplicissima est. Modo praecessit: *ἰδοίμαν δὲ νιν τὸν τάδε μησάμενον* etc., ad quae respiciens Chorus breviter respondet: *πότμος σε τάδε* in mente habens: *πότμος σε τάδε ἐμήσατο.* Duplex accusativus nemini dubitationem afferet. Dixit Homerus Iliad. X, 52.:

τόσα γὰρ κακὰ μήσατ' Ἀχαιούς.

In verbis *ἀρὰν ἔχε ἐπ' ἄλλοις* quaeritur, quinam isti sint, in quos Chorus iubet Philoctetam exsecrationes dirigere. Ulyssem esse non posse, vere monuit mea sententia Buttmannus, cuius tamen explicationem: *inhibe execrationes tuas directas in alios* non magis pro vera habere possum. Nam sine dubio plane omisisset poeta verba *ἐπ' ἄλλοις*, si hoc dicere voluisset. Equidem haec ipsa verba per euphemismum dicta censeo pro: *ἐπὶ δαίμοσιν*, quorum voluntate modo Chorus Philoctetam in haec mala incidisse contendit.

Vss. 1111 — 1112.

ἀλλά μοι ἄσκοπα
κρυπτά τ' ἔπη δολερᾶς ὑπέδυ φρενός.

Buttmannus offensus insolentia dictionis *ὑποδῦναί τινι* (*μοι*) pro *τινὰ*, suspicatur scriptum fuisse: *ἀλλά μοι ἄσκοπα κρυπτά τ' ἔπη θολερὰς ὑπέδυ φρένας* hoc sensu: *mentem meam turbatam.* Vidit tamen ipse vir doctissimus, obstare huic correctioni, quod Chorus, qui statim ad haec respondet, dicit: *πότμος σε τάδε, οὐδὲ δόλος ἔσχεν.* Quibus verbis satis vulgatam scripturam defendi arbitror, in qua quod *ὑποδῦναί μοι* scriptum est, recte sed poetice dictum puto. Plane eiusdem generis est, quod legitur in Sophoclis Trachin. vs. 298.:

ἐμοὶ γὰρ οἶκτος δεινὸς εἰσέβη, φίλαι.

Illud quemadmodum breviter dictum videtur pro: *εἰσέβη μοι εἰς φρένα*, ita hoc *ὑπέδυ* (quod Schol. explicant *ὑπεισῆλθε*) *μοι* valet: *ὑπεισῆλθέ μοι ἐς φρένα*. Cfr. etiam Reisigius ad Oedip. Col. vs. 938.

INDEX SCRIPTORUM.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

E R R A T A.

Pag. 21. l. 2. pro ταὖθ' lege ταῦθ'. — pag. 26. l. 28. pro ἐπεέστησεν lege ἐπέστησεν. — pag. 42. l. 21. adde *Orestes* post *Bacchae*. — pag. 93. l. 27. pro *perpatraverit* lege *perpetraverit*. Alios aliquos errores lector ipse facile corriget.